BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
9 A
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
8. 9. A. 21

BREVIS AVGVSTISSIMI AC SVMME VENERANDI SACROSANCTAE MISSAE SACRIFICII

ex Sanctis patrib. contra impium Franciſci Stancari Mantuani ſcriptum, Aſſertio:

IVSSV ET AVTORITATE REuerendiſſ. Domini IACOBI VCHANSKI GNESNENSIS ARCHIEPISCOPI *nunc primùm edita.*

Quid hic libellus contineat, verſa pagella docet.

Auguſtin. in Epiſt. 23. ad Bonifacium.

Nónne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? & tamen in Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur.

Rdo in Chro P. Francisco Toleto, Theologo Societ. IESV.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.

ANNO M. D. LXXVII.

Cum gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

8-4-A-21

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

8 . 9 . A . 21

IN HOC LIBELLO TRES illi loci ex certiſſimo vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ ſenſu & conſenſu explicantur.

Primus de oblatione mũda, Malachiæ. 1.
Secundus, de Sacrificio Melchiſedech, Geneſ. 14. & pſal. 109.
Tertius, de iugi ſacrificio, Danie. 12. et 9.
Acceſſit & Quartus, de verbis, Hoc facite in meam cõmemorationem. Math. 26.
Et Quintus de Tranſſubſtantiatiõe, hoc eſt, conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti.
Et ſextò, Aſſertiones Catholicæ de ſacrificio Miſſæ.

IACOBVS VCHANSKI DEI GRATIA ARCHIEPISCOPVS GNESNEN. LEGATVS NAtus, et *Regni* POLONIAE *Primas, Chriſtiano Lectori* CHRISTI *G. et P.*

PEruenit in manꝰ noſtras libellus, viri cuiuſdã Catholici et orthodoxi, quẽ ille ante ſexennium ferè, hortatu quorundam cõſcripſerat, pro defendendo ſancto & viuifico & incrueto (vt illud vetuſtiſſimus ac doctiſsimus Alexandriæ Archiepiſcopús Cyrillus appellat) Miſſæ Sacrificio :. aduerſus blaſphemum & impium Stancari ſcriptum, anno 1571. in Polonia æditum, in quo Rabbiniſta ille magis quàm Theologus, & Iudaicarum ſuperſtitionum, quàm legum Chriſtianarum ſtudioſior, certè homo, & ſuo ipſius iudicio, & grauiſsima Patrum à Sacro Conſilio Tridentino delectorum cenſura hæreſeos conde-

natus, contra Sacroſanctam Eccleſiæ Catholicæ Liturgiam, occidente ſua letera, non vificante ſpiritu armatus; & Rabbinorum commentis, non Orthodoxorum Theologorum interpretationibus inſtructus inſurgit, vt videlicet ſe non poſtremum, ſed primi pili centurionem eſſe probet eorum; qui hoc tempore omnia Chriſtianæ Religionis Iura euertentes, viam Antichriſto ad ſubuertēdam Eccleſiam Chriſti, & innumeros homines ad ſempiternum exitium pertrahendos patefaciunt ac muniunt. Quem quidem libellum, iam Autor ipſe ſuppreſſurus videbatur: tū quòd ſatis multa doctiſsimè à plerisque noſtri ſeculi Orthodoxis Theologis, pro Sacroſancto Miſſæ Sacrificio diſputata, nec quidquā inexcuſſum relictum exiſtimaret: tum quòd ob tēpora noſtræ Reipub. conſecuta reſponſio intermiſſa, minimeque euulgata, ſerior iam poſt tot annorum decurſum videretur. Nos verò, poſtquam libelli ipſius copiam nobis ab Auctore fieri curauimus, eūq; perlegimus; dignū omnino qui in lucē edatur iudicauimus.

Et ſanè Stancarus, non eo loco à nobis habetur: vt eius ſcriptis vel legẽdis vel refutãdis bonas horas malè collocare æquũ eſſe ducamꝰ: quippe q nihil penè ingenuæ & ſolidæ eruditiõis, præter Hebraicarum literarum corticẽ, & fœtidas Rabbinorum lacunas, habere videtur: ac ea quæ ſcribit, planè Iudaicè, nulla methodi luce colluſtrat, nulla orationis puritate & elegantia veſtit: tanquam ſorex vel lumbricus, in ſuis cauernis Iudaizans deliteſcit: nulli penitus ſectæ cõmunione eſt ſociatus: in rebus Religionis planè ſuus, aliquot amiculis, & otioſis hominib. ſua illa Rabinica atque Thalmudica paradoxa decantat: interdum autẽ, credo fame ſtimulatus, ſcripto aliquo Catholicam Religionem atq; Eccleſiaſticum ordinem allatrat. Quare, ſi hominem ſpectes, planè cum ſuis ſcriptis negligẽdum meritò exiſtimes. Verùm enimverò, quoniam id genus hominum, qualiacunque ſua ſcripta ſimiarum more miratur: ac niſi reſponſum ſit è veſtigio, triumphum ſibi decerni flagitat; non putaui hanc reſponſionẽ prætermittendam: quin emanaret in

vulgus:atq; ad hominum manus per-
ueniret.

Quanquam Auctor huius libelli, non hoc ſibi ſumpſit: vt omnia illius ſcripti parerga refutaret: & hominis importunitatem atque amentiā oratione caſtigaret: ſed potius vt rebus à propoſito alienis, & quæ de perſona dici poterāt, prætteritis; eius machinas, quibus ille vnicum ſummeq; venerandum Sacrificium à Chriſto inſtitutum, & ab Apoſtolis Eccleſiæ traditum (vt poſt Euangeliſtas & D. Paulum inter cæteros Irenæus vicinus Apoſtolorum temporibus grauis & luculentus eſt auctor) ſubruere ſe poſſe confidebat, quàm vanæ & infirmæ eſſent demonſtraret: falſiſq; Scripturæ ſacræ & commētitijs interpretationibus repudiatis, veram, Catholicā atq; Orthodoxam ſtabiliret. Quo etiam nomine dignior luce hic libellus eſſe videbatur: cùm non inanibus cōtentionibus, aut friuolis altercationibus, Rhetoricisúe declamationibus: ſed locorum Sacræ Scripturę ex antiquiſſimis & Orthodoxis Theologis petita ex-

tà explicatione, opinionum autẽ cõmentitiarum breui & dilucida refutatione niteretur. Quapropter illum auctoritate noſtra et ſumptu in tuam, lector Chriſtiane, gratiã euulgamus, quem ſi perlegeris, non dubitamus, quin tibi, quod ad præſentium Sacræ ſcripturæ locorum veram & Catholicam intelligentiam attinet, planè ſatisfactum eſſe exiſtimes. Lege itaq; & turbatum Eccleſiæ ſtatum tuis precibus Deo commenda. Louicij, 3. Iunij. Anno Domini
1577.

CATALOGVS AVTORVM QVORVM EXPLICATIONES AFFERVNtur in hoc opuſculo, notatis ætatibus quibus vixerunt.

Martialis Chriſti diſcipulus	
D. Dionyſius Areopagita	110.
Clemens Pontifex & Martyr	111.
Alexander Pontifex & Martyr	121
D. Juſtinus Martyr	154.
D. Irenæus Epiſcopus	184.
Clemẽs Alexandrinus, circa annũ D.	190.
Tertullianus	210.
Hypolitus Epiſcopus & Martyr	220.
D. Cyprianus Epiſcopus & Martyr	260.
Arnobius præsbyter	309.
Euſebius Cæſarienſis	329.
Athanaſius Epiſcopus Alexãdrinus	334.
Euſebius Emiſſenus	355.
D. Baſilius Epiſcopus	372
Gregorius Nazianzenus	378.
Cyrillus Hieroſolymitanus	381.
D. Ambroſius	390.
Hiſichius præsbyter	400.
D. Hieronymus	410.

Epipha-

Epiphanius Epiſcopus	413.
D. Chryſoſtomus	414.
D. Auguſtinus	425.
Cyrillus Alexandrinus	438.
Eucherius Lugdunenſis	440.
Euthymius Eremita	448.
Theodoretus Epiſcopus Cyri	450.
D. Leo Pontifex	452.
Beda venerabilis	725.
Theophilactus	750.
Haymo	820.
Photius	864.
Remigius	882.
Oecumenius	1086.
Rupertus Tuitienſis	1124.
Petrus, Cluniacenſis	1138.
Concilium Lateranenſe	1215.
Dionyſius Carthuſianus	1467.

LITVRGIAE.

Liturgia Iacobi Apoſtoli.
Liturgia D. Baſilij
Liturgia D. Chryſoſtomi
Liturgia apud Clementem
Miſſa Romana
Miſſa D. Ambroſij
Miſſa Æthiopum

RABBINI ET HAERETICI.

Philo Iudæus.
Ioſephus
Rabbi Barachias
Rabbi Cahana
Rabbi Ionathas.
Rabbi Iudas
Rabbi Iohai
Rabbi Ionathas Ben Vziel
Rabbi Kimhi,
Rabbi Moyſes Hadarſan
Rabbi Pinhas filius Iair
Rabbi Samuel
Rabbi Selomoch
Martinus Lutherus
Sebaſtianus Munſterus.

Locum Malach. 1. D. Iuſtinus Martyr, in dialogo cum Triphone, ſic interpretatur.

De hoſtijs, inquit, quæ ipſi (DEO) à nobis gentibus vbiq; offeruntur, id eſt de pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ tum prædicit, cùm ait, à nobis nomen ipſius gloria affici, à vobis autem (Iudæis) pollui.

Locum de Melchiſedech D. Hieronymus, ad Marcellam, ita:

Melchiſedech, in typo Chriſti, panẽ & vinum obtulit: & myſterium Chriſtianum in ſaluatoris ſanguine & corpore dedicauit.

Locum de iugi ſacrificio, Chryſoſtõmus, in opere imperfecto, ita:

In dimidio hebdomadis, hoc eſt, trib⁹ annis & ſex menſibus hoc ſacrificium Chriſtianorum (Euchariſtia) tollendum eſt ab Antichriſto: confugientibus Chriſtianis ante eum per loca deſerta, non erit qui aut in Eccleſiam intret, aut oblationem offerat.

Locum,

Locum, Hoc facite, Chryſoſtomus ſic in j. ad Corinth.10.

Cum ſacrificium cõmutaret, (Dominus) pro brutorum cæde ſeipſum offerendũ præcepit.

De Tranſſubſtantiatione D. Gregorius Nyſſenus ita, ſerm. Cathechetico de diuinis Sacram.

Rectè igitur & nunc panem diuino verbo ſanctificatum, in corpus Dei Verbi tranſmutari credimus.

QVOD TRIA CATHOLICORVM FVNDAMENTA, PRO AVGVSTISSIMO SVMMEQVE VENERANDO Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, firma & inconcuſſa permanent.

Primus locus Malachiæ Prophetæ, de oblatione munda, qui in editione vulgata ſic habet.

NON eſt mihi volūtas in vobis (ô Sacerdotes Iſraël) dicit Dominus exercituū: & munus nō ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomē meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

Malach. 1. Abrogatio veterū Sacrificiorum Inſtitutio noui ſacrificij ſeu oblationis mundæ.

Pagninus ſic vertit ex Hebræo: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dixit Dominus exercituum: & munus,* (hebraicè מנחה: mincha) *non volam de manu veſtra. Nam ab ortu ſolis & vſq; ad occaſum eius, magnum nomen meum inter gentes: & in omni loco incenſum offertur* (hebraicè מקטר מגש muctar muggaſch, ad verbū ſuffumigatum oblatum) *nomini meo & oblatio munda* (hebraicè מנחה טהורה vmin-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cha tehorah) *quia magnum nomen meum in ter gentes, dixit Dominus exercituum.*

Concordat & Textus Græcus ſeptuaginta interpetum, qui ſic habent: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium* (θυσίαν) *non ſuſcipiam de manibus veſtris. Quia ab ortu ſolis vſque ad occaſum, nomen meum glorificatum eſt in gentibus: & in omni loco incẽſum offertur:* θυμίαμα προσάγεται *nomini meo, & ſacrificium mundum* (καὶ θυσία καθαρά) *quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens.*

Vbi hoc præcipuè notandum eſt, quòd pro illis verbis vulgatæ editionis; *Et in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*: Textus Hæbraicus & Græcus habeat: *Et in omni loco incenſum offertur nomini meo, & oblatio munda ſeu ſacrificium mundum.* Ita vt apertè Incẽſum diſtinguatur ab oblatione munda Nam & in Hebræo duæ diuerſæ dictiones ſunt מקטר Muctar & מנחה Mincha. Et in Græco θυμίαμα, & θυσία. Deinde obſeruandum, in hebraico idem verbum eſſe, nempe Mincha, quod priore quidem loco D. Hieronymus, Munus interpretatur: altero autem oblationem. Græci verò vtrobique θυσίαν, hoc eſt ſacrificium vertunt.

Duo diſtincta per totũ orbem à Chriſtianis offerenda, Incenſum, & oblatio munda.

Quòd

Quòd hic Malachiæ locus de Euchariſtiæ Sacrificio rectè & propriè intelligatur. Doctorum veteris Eccleſiæ teſtimonia.

IRenæus. lib. 4. cap. 32. contra Valentinum. *Sed & ſuis diſcipulis (Dominus) dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis: non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi nèc ingrati ſint: eum qui ex creatura panis eſt accepit; & gratias egit dicens: Hoc eſt meum corpus. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex creatura quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt: & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in nouo teſtamento. De quo in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignificauit. Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris: Quoniam ab ortu ſolis vſq; ad occaſum nomen meum glorificatur inter gentes: & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum. Quoniam magnum eſt nomen meũ in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Manifeſtiſſimè ſignificans per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſauit offerre Deo: omni autem loco ſacrificium offertur DEI, & hoc purum: nomen autem eius glorificatur in gentibus.*

Notã. Chriſtus in cœna noui Teſtamenti, nouam docuit oblationem, quæ ſecundum Malachiæ vaticiniũ in vniuerſo mundo ab Eccleſiâ offertur Deo.

Malach. 1.

Abrogatio veterũ ſacrificiorũ.

Inſtitutio noui.

Hæc Irenæus D. Polycarpi S. Ioannis Euangeliſtæ auditoris diſcipulus.

Hæretici ſacrificium externum nolũt agnoſcere, vt olim Manichæi.

Garriat hic Stancarus, quantũ volet, de oblatione Minchah: torqueant & Confeſſioniſtæ Auguſtani (quos iſte, ſi Dijs placet, Catholicos appellat) verba Prophetæ de Incenſo & oblatione munda, ad ſacrificia ſpiritualia tantùm, Nobis vnus Irenæus, vtpote Apoſtolorum diſcipulus grauior teſtis eſt, quàm Lutherani & Stancariani mille. Atqui Irenæus huius loci Incenſum docet capite ſequẽti, ex Ioãnis Apoſtoli Apocalypſi, eſſe oratiões Sanctorũ: Sacrificium autem hoc purum ſiue oblationem mũdam cap. 32. & 34. docet illud eſſe nouã noui teſtamenti oblationẽ, quã Chriſtus in cœna docuit, quã Eccleſia ab Apoſtolis accipiẽs, in vniuerſo mundo inquit, offert Deo: nimirũ Euchariſtiã; quæ iã (vt ait c. 34.) nõ eſt cõmunis panis, ſed duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti. Sed ipſum potiùs Irenæũ loquentẽ audiamus.

Incenſum. Orationes Sanctorũ.

Oblatio mũda, ſacrificiũ Miſſæ.

Euchariſtia nõ eſt panis cõmunis.

Iren. lib. 4. cap. 33.

Nota duas res diſtinctas, Incenſum, & ſacrificiũ purum.

Apocal. 5.

Quoniam ergo nomẽ filij proprium Patris eſt, & in Deo omnipotente per Ieſum Chriſtum offert Eccleſia: benè ait ſecundũ vtrunq; : Et in omni loco incẽſum offertur nomini meo, & ſacrificiũ purũ. Incenſa aũt Ioãnes in Apocalypſi orationes eſſe ait Sãctorũ. Igitur Eccleſiæ oblatio, quã Dominus docuit offerri in vniuerſo mũdo, purum ſacrificiũ reputatũ eſt apud Deũ, & acceptũ eſt ei: nõ quòd indi-

indigeat a nobis ſacrificium, ſed quoniam is qui offert glorificatur ipſe in eo quod offert, ſi accepte-tur munus eius. Et poſt pauca: *Et genus oblatio-num reprobatũ eſt: oblationes enim & illic, obla-tiones autem & hic, Sacrificia in populo, ſacrifi-cia & in Eccleſia. Sed ſpecies immutata eſt tantũ: quippe cũ iã nõ à ſeruis, ſed à liberis, offeratur.* Hęc Irenęus. Vbi diligenter notandũ eſt, quòd Irenæus Incenſum ab oblatione apertè di-ſtinguat: & Incẽſum quidẽ refert ad Ora-tiones & ſacrificia ſpiritualia, ad ſacrificia laudis, quæ Apoſtolus hoſtiã laudis, id eſt fructum labiorum, confitentium nomini eius appellat, hoc eſt, inuocationem, grati-arum actionem, glorificationem, confeſ-ſionem, & laudem nominis Dei. Verùm oblationem mundam ſeu Sacrificium pu-rum, non aliud eſſe vult, quàm externum Miſſæ ſacrificium, quod Dominus in cœ-na inſtituit, id quod ex ſuperioribus pa-tet, & ex his quæ ſequũtur manifeſtiùs eſt, quàm vt negare quiſquam poſsit. Sic enim deinceps inquit:

Idem c. 34. *Illa ſcilicet quam Dominus in cœna diſci-pulos do-cuit.* *Species tan tũ oblatio-nũ immuta ta eſt: alio-qui et apud Chriſtianos ſicut apud Hebræos, externum viget Sacri ficium.* *Aliud incẽ ſum, obla-tio munda.* *Ad Heb. 13.*

Quoniam igitur cum ſimplicitate Eccleſia of-fert, iuſtè munus eius, purum ſacrificiũ apud De-um deputatum eſt. Oportet enim nos oblationem facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, in ſententia pura, & fide ſine hypocriſi, in ſpe firma, in dilectione feruenti, primitias earum quæ ſunt eius creaturarum offerentes: & hanc oblatio-

Oblatio munda. Notent Lu terani, quæ ſit oblatio Eccleſiæ mũda: nẽ-pe ſacrifi cium exter

num ex primitijs creaturarū ex creatura eius: id eſt, ex pane & vino iuxta eius inſtitutum.

nem Eccleſia ſola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Iudæi autem iam non offerunt: manus enim eorū ſanguine plenæ ſunt. Non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo. Sed neque omnes Hæreticorum Synagogæ.

Nota, Verbum offerri Deo.

Etiam veteres Hæretici pro certiſſimo habebant panem conſecratum corpus eſſe Domini.

Et paulò pòſt de oblatione quorūdam hæreticorum loquens: *Quomodo autem conſtabit eis* (hæreticis) *eum panem in quo gratiæ actæ ſunt* (notate Luterani) *corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis eius: ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, id eſt verbum eius per quod lignum fructificat, defluunt fontes, germinat terra, & dat primùm quidem fœnum, pòſt deinde ſpicam, deinde plenū triticum in ſpica? Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim ei quæ ſunt eius, cōgruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis & ſpiritus. Quemadmodum enim qui eſt à terra panis* (audite Luterani, Caluiniſtæ, Stancariſtæ) *percipiens vocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti* (hoc eſt ex ſpeciebus panis & vini, & vero corpore ac ſanguine Domini) *ſic & corpora noſtra perci-*

Etiam Hæretici in primitiua Eccleſia offerebant ſacrificium Miſſæ.

Oblatio Euchariſtiæ.

Panis poſt conſecrationem (hoc enim eſt percipere voca-

percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corrupti *tionē Dei)*
bilia, ſpem reſurrectionis habentia. Offerimus au- *iam non eſt*
tem ei, non quaſi indigenti, ſed gratias agentes do *panis communis.*
nationi eius, et ſanctificantes creaturam. Hacte-
nus Irenæus.

Quibus ex omnib manifeſtè patet, quòd *Nota ſancti*
Irenæus per oblationem mundam ſeu pu *ficantes, id*
rum ſacrificium, intelligat ſacrificiū exter *eſt, cōſecrā-*
num Euchariſtiæ, ex duab. rebus cōſtans, *tes creatu-*
terrena & cęleſti: hoc eſt panis & vini ter- *ram.*
renis ſpecieb. & corpore ac ſanguine Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti: quod ſanè eſt in
Eccleſia Catholica Miſſæ ſacrificiū. Atq;
hic cōmenta Stancari & Luteranorum, de
interno & ſpirituali ſacrificio Chriſtiano-
rū tantùm, locum hunc interpretantium,
ſtatim euertuntur & corruunt. Vtrumq;
enim cōiungit Irenæus: & cultum interio
rem, ſeu glorificationem nominis Dei,
quam per Incenſum intelligit: & exterio-
rem cultum ſeu ſacrificium, quod per
oblationem mūdam ſignificari aſſeuerat.

Quod ipſum etiam multis alijs modis *Oblationē*
probant ſcriptores Catholici, tum ex ipſo *mundam,*
textu, tum ex Aduerſariorum cōfeſsione *externum*
Nam verbum ſacrificij in ſcripturis abſo- *ſacrificium*
lutè poſitū, accipitur ſemper propriè pro *eſſe.*
externo ſacrificio. Quādo verò Metapho 2.
ricè ſumitur, ferè adijcitur aliquid, quo id
ſignificetur, vt Sacrificium Iuſtitię Pſal. 4.

 & 50.

3. & 50. ſacrificium laudis Pſal. 49. & 106. & ſacrificium cordis contriti. Pſal. 50. (vbi etiã non ponitur dictio Mincha, quæ propriè oblationem externam ſignificat, ſed dictio זבח Zebach, id eſt ſacrificiũ ſeu victima à verbo זבח Zabach, quod eſt mactare, immolare, ſacrificare) Quod multò etiã magis cõfirmatur, ex textu hebraico, in quo habetur ——— Mincha, quæ vox ſemper in ſcripturis oblationem externã ſignificat. Deducitur enim à verbo נחה Nacha, quod ſignificat ſenſim ſeu placidè adducere more offerentium. Significat ergo Minchah, donarium quoduis, etiam profanum, quod homini cum pompa affertur. Sed ſpecialiter pro oblatione ponitur, quæ Deo offertur: & arctiùs pro ſacrificio farinaceo, cuius ſex ſpecies afferuntur Leuit 2. Vide Theſaurum. S. Pagnini Hebraicum.

Mincha, oblationẽ externam ſignificat.

4. Quare quod obijcit Stancarus, vocem Mincha ſumi pro ſacrificio laudis, Pſal. 141. verſu 2. planè eſt ficticiũ. Sic enim ait Propheta: Dirigatur Domine, oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum, ſacrificiũ (Mincha) veſpertinum. Vbi id orat Dauid, vt oratio ipſius acceptetur à Deo in odorem ſuauitatis, perinde vt incenſum, & Mincha veſpertinum, quod quotidie offerebatur ſecundum legem, ac proinde cenſe-

Mincha, nuſquã in ſcripturis ponitur pro ſpirituali ſacrificio.

cenſebatur gratiſsimum Deo ſacrificium, eò quòd eſſet iuge. Spirituale autem ſacrificium non magis eſt veſpertinum, quàm matutinũ. Senſus ergo eſt, vt ex Hebræo vertit Pagninus: Firmetur oratio mea, ſicut ſuffimentum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum, ſit, vt ſacrificium veſpertinum. In idem recidit Paraphraſis Chaldaica, quę ſic habet: Dirigatur oratio mea, ſicut ſuffimentum aromaticum coram te: eleuatio manuum mearum, ſicut munus ſuaue, quod offertur veſpere.

Frequens enim eſt in Pſalmis, vt idem dicatur commutatis verbis. Non igitur Dauid affirmat orationem ſuam eſſe ſacrificium Mincha; ſed petit à Deo, vt tam grata ſit illi ſua oratio, nempe ſpirituale ſacrificium, quàm gratum eſt illi externum ſacrificium minchæ veſpertinæ: cui tunc ipſe abſens adeſſe non poterat. Adde quòd 5. ſacrificium noui teſtamenti, (de quo Malachias) debebat ſucceſsiſſe Iudaicis: eratq; diſtinctum ab ipſis. Nam illis reiectis acceptatur iſtud, ſed ſpirituale ſacrificium noui teſtamenti nec ſucceſsit Iudaicis, nec diſtinguitur ab ipſis. Quia Iudaica ſacrificia quatenus erant inſtituta à Deo, includebãt in ſe ſacrificia ſpiritualia. Quare neceſſe eſt externum eſſe noui teſtaméti ſacrificium 6. Præterea omne opus bonum homi- NOTA.

nis quantumlibet Chriſtiani,iuxta Aduerſariorum ſententiam, coram Deo eſt peccatum & immundum, velut pannus menſtruatæ:quare iuxta eorum ſentẽtiam, locus Malachiæ non poteſt intelligi de ſacrificio ſpirituali, cùm id non ſit mundum. Hæc, & his plura ex Catholicis ſcriptoribus poſſent afferri. Verùm nobis intra terminos,quos nobis deſcripſimus, manendum eſt. Habes igitur locum hunc ab Ireneo Apoſtolicis temporibus proximo, de ſacrificio Miſſę veriſsimè & planè Apoſtolicè interpretatũ. Sed alios etiã in hanc ſententiã teſtes locupletiſsimos & Germanos huius Prophetię interpretes audiamus.

D. Iuſtinus Philoſophus & martyr, in Dialogo cum Triphone aduerſus Iudæos.

Malach. 1. Sacerdotes noui teſta. menti. Nota ſacrificium Euchariſtiæ ſuo nomine Chriſtus faciendum tradidit.

DEVS ipſi teſtis eſt, qui ait. In omni loco in gentibus hoſtias acceptas, grataſq́; immolari. Neque verò à quoquam hoſtias Deus accipit, niſi à ſuis ſacerdotibus. Itaque omnia Sacrificia quæ ſuo nomine facienda Ieſus Chriſtus tradidit, (id eſt, in Euchariſtia panis et poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt) præoccupatione vſus Deus, ſibi grata eſſe teſtatur. Quæ autem à vobis veſtrisquè illis Sacerdotibus fiunt, improbat his verbis: Sacrificiaquè veſtra è manibus veſtris non accipiam &c.

Et rur-

Et rurſus eundem locum explicans: *De hoſtijs,* inquit, *quæ ipſi à nobis gẽtibus vbique offeruntur, id eſt, de pane Euchariſtiæ & poculo ſimiliter Euchariſtiæ tum prædicit, cùm ait, à nobis nomen gloriæ affici: à vobis autem pollui.*

Ibidem.
Quid clarius dici pro noſtra ſententia poterat.
Malach. 1.

Chryſoſtomus in Homilia ſuper Pſal. 92. illud Malachiæ citans: Non eſt mea voluntas. &c.

Vide, inquit, *quàm luculenter, quamq́ dilucidè myſticam interpretatus eſt menſam, quæ eſt incruenta hoſtia. Thymiama verò purum, appellat ſacras preces, quæ poſt hoſtiam offeruntur. Hic enim ſuffitus Deum refocillat, non is qui à terrenis radicibus ſumitur, ſed qui à puro corde exhalatur. Vides, vt vbiq́ locorum conceſſum eſt Angelicum illud ſacrificium inclareſcere? Vides nullis finibus circumſcriptum neque altare neque canticum? In omni loco Thymiama offertur nomini meo.*

Eſt igitur hoſtia pura, prima quidem myſtica mẽſa, cœleſte venerandumq́ ſacrificium: Eſt autem & in nobis varia ſacrificiorũ differentia, &c.

Oblatio munda ſeu incruenta hoſtia, eſt myſtica Domini menſa, id eſt Euchariſtia.
Incenſum orationes.
Angelicum ſacrificiũ.
Nota, oblatio pura eſt præcipuè Euchariſtia, quæ eſt cœleſte venerandumque ſacrificium.

Vbi, cùm explicaſſet, multa alia eſſe noui teſtamenti ſacrificia, concludit hoc modo: *Habemus igitur primùm ſacrificium illud ſalutare donum, ſecundum Martyrum, tertium deprecationis, quartum iubilationis, quintum Iuſtitiæ, ſextum eleemoſinæ, ſeptimum laudis, octauum compunctionis, nonum humilitatis, deci-*

Varia ſacrificiorũ genera apud Chriſtianos, inter quæ primum.

nium

mum prædicationis: tametſi quiddam prætermiſi, quum animo nouem enumerauerim, putaui me tradidiſſe decem. Quodnam igitur ſacrificij genus prætermiſſum eſt? Eſt decimum ſacrificium fructificationis.

Clemens Pontifex & Martyr lib. 6. conſtit. Apoſtolic. cap. 23.

Nota non ſuſtulit Dominus ſacrificiū & ſacerdotiū externum, ſed mutauit. Ad Heb. 7. Rationale & incruentum ac myſticū ſacrificium.

CHriſtus circunciſionem ſuſtulit, cum eam in ſe expleſſet, Baptiſmum, ſacrificium, ſacerdotium, localem adorationem alio modo mutauit. Pro quotidiano Baptiſmo, vnum ſolum Baptiſmū inſtituit, qui in mortem perficitur. Pro vna tribu, de qualibet natione præcepit optimos deligi: nec corporum integritatem ſpectare, ſed religionem ac vitam. Pro ſacrificio cruento, rationale & incruentum ac myſticum ſacrificium inſtituit, quod in mortem Domini per ſymbola corporis & ſanguinis ſui celebratur. Pro adoratione locali, ab ortu ſolis vſque ad occaſum, in omni loco imperij ſui, nomen ſuum celebrari ſtatuit. Quare non ſuſtulit à nobis legem, ſed vincula.

D. Martialis, in Epiſt. ad Burdegalen. cap. 3.

Cōſecratio altaris in nomine Domini & Stephani. Chriſtus Deus Iſrael.

NAM dum altaria dæmonum in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei ad conſecrationem reſeruari iuſſimus: qua dedicata in nomine Domini Dei Iſraël, & ipſius teſtis Stephani, qui pro eo à Iudæis paſſus eſt: non hominis cultum ſed Dei in ea frequentatis. Stephanus enim non Deus ſed

ſed amicus Dei fuit, qui pro teſtimonio eius animã ſuam poſuit: cuius ſanguine ipſa menſa eſt decorata, quia ſuo ſanguine Ieſus Chriſtus cõprobatus eſt eſſe Deus: & qui crediderit, ornamenta fidei maiora perceperit. Sacrificium enim Deo creatori offertur in ara, non homini, neque Angelo. Nec ſolùm in ara ſanctificata, ſed vbique offertur Deo oblatio mũda, ſicut teſtatus eſt; cuius corpus & ſanguinem in vitam æternam offerimus dicentes: Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Ipſe enim corpus habens, & immaculatum, & ſine peccato, quia cõceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, in ara crucis ipſum permiſit immolari. Quòd autem Iudæi per inuidiã immolarunt, putantes ſe nomen eius à terra abolere: nos cauſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus: ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipſe Dominus noſter iuſſit nos agere in ſui commemorationem.

Sacrificium Deo offertur in altari. *Malach. 1* *Ioan. 4.* *Oblatio corporis Domini in altari cauſa ſalutis noſtræ.* *Sacrificiũ propiciatorium.* *Chriſtus præcepit offerre.*

Auguſtin. lib. 19. De Ciuit. Dei ca. 23.

DEI Præclariſſimum atq; optimum ſacrificium nos ipſi ſumus. Hæc eſt ciuitas eius cũ mundæ ius rei myſterium celebramus oblationibus noſtris, quæ fidelibus nota ſunt. Ceſſaturas enim victimas quas in vmbra futuri offerebant Iudæi: & vnum ſacrificium gentes à ſolis ortu vſq; ad occaſum, ſicut iam fieri cernimus, oblaturas per Prophetas Hebræos, oracula increpuere diuina.

Oblatio munda.

Pſal. 110. Idem lib. 18 de Ciuit. Dei. cap. 35.

Nota. *Malachias prophetans Eccleſiam, quam per CHRISTVM iam cernimus propagatam, Iudæis apertiſſimè dicit ex perſona DEI: & cæter: Non eſt mihi voluntas in vobis &c. Ab ortu ſolis Hoc ſacrificium per Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu vſq; ad occaſum Deo iam videamus offerri: ſacrificium autem Iudæorum, quibus dictũ eſt. Non eſt mihi voluntas in vobis, nec accipiam &c. ceſſaſſe negare non poſſunt: quid adhuc expectant alium Chriſtum, cùm hoc quod prophetatum eſt, legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, niſi per ipſum.* Hęc Auguſt.

Oblationes notæ fidelibus, quæ ſint apud Auguſtin. Quę autem ſint illę oblationes, quę fidelibus notę ſunt (ne quis hęc cum Stancarianis, ad ſacrificia laudis, ſiue ſpirituales oblationes detorqueat) oſtendit idem alibi his verbis.

Tomo 8. cõcione 1.

Nota, et vide ſacrificium corporis & Sanguinis Domini diffuſum nunc toto orbe terrarum. *Erat, vt noſtis, ſacrificium Iudæorum antea ſecundum ordinem Aaron, in victimis pecorum, & hoc in myſterio. Nondum enim erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod fideles norũt, & qui Euangeliũ legerunt: quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum.* Hęc Auguſt: Quòd ſi ita eſt, ergo Stancarus cum ſuis Confeſsioniſtis, qui hoc ſacrificium, non iam ſecundum ordinem Aaron cruẽtum, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech incruentum, ſacrificium corporis & ſanguinis

nis Domini ſub panis & vini ſpeciebus nō agnoſcunt, infideles ſunt: nec Euangelium legunt, aut legentes non intelligunt, aut certè nolunt intelligere, vt benè & idem cum vniuerſa Eccleſia Catholica ſapiant, & ſentiant.

Stancarus cum ſuis infidelis eſt, Auguſtino teſte.

Lib. 1. cap. 20. contra aduerſ. legis & prophetarum.

Idem alibi: *Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham: & ſi iam ſunt participes eius, vident tale ſacrificium nunc offerri DOMINO in toto orbe terrarum.* Ac paulò poſt productis Malachiæ verbis, *Non eſt mihi voluntas in vobis, hoſtiam non accipiam de manibus veſtris. Ecce*, inquit, *quod eſt ſecundum ordinē Aaron*: ac mox: *in omni loco offertur incenſum nomini meo, & hoſtia pura. Ecce*, inquit, *quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Nota. Cōtra Fauſtū Manich. lib. 20. cap. 18.

Et idem rurſum alibi: *Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis et varijs modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam CHRISTVS obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti eius ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.*

Nota. In Miſſa celebratur memoria crucē tiillius & iā peracti ſacrificij oblationē & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.

Hieronymus ſuper eadem Malachiæ verba.

PRopriè nunc ad Sacerdotes Iudæorum ſermo fit Domini, qui offerunt cæcum & claudum & languidum ad immolandum: vt ſciant

carnalibus victimis ſpirituales victimas ſucceſſuras,& nequaquam taurorum hircorumq́, ſanguinem:ſed thymiama, hoc eſt, ſanctorum orationes Domino offerendas, & non in vna orbis prouincia Iudææ,nec in vna Iudææ vrbe Hieruſalem,ſed in omni loco offerri oblationē: nequaquā immundā, vt à populo Iſraël:ſed mūdam vt in Cæremonijs Chriſtianorū. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum, magnum eſt nomen Domini in gentibus.

Incenſum. Orationes ſanctorū. Oblationē mūdā in Cæremonijs Chriſtianorum, ergo de externo ſacrificio intelligit.

Euſebius Cæſarienſis Euangelicarū demonſtrationum.lib.1.ca.6.& 10.

Malach.1.

MAlachias autem ſimul & ad eos qui ex circumciſione ſunt, ſermonem dirigit, & de gentibus talia prædicit. Non eſt voluntas mea dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium non ſuſcipiam de manibus veſtris: quoniam ab ortu vſq; ad occaſum nomen meū glorificatum eſt in gentibus:& in omni loco incēſum offertur nomini meo, & ſacrificium mundum.

Quod enim in omni loco dicit incenſum & ſacrificium offerri Deo,quid aliud ſignificat, niſi non Hieroſolymis,neque definitè in hoc, aut in illo loco id futurum, ſed in omni regione, & in omnibus gentibus,quæ quidem & orationis incenſum,& ſacrificium quod mundum dictum eſt, non per cruores,ſed per pias actiones ſummo Deo eſſent oblaturæ?

Orationis incenſum, ſpirituales hoſtiæ. Oblationes mūdæ piæ actiones Miſſæ.

Quæ autem ſint piæ iſtæ actiones (ne quis hæc ad ſpiritualia ſacrificia referat) alibi apertiùs oſten-

oſtendit: cùm iiſdẽ Malachiæ verbis com-memoratis, mox inquit:

Offerimus propterea illi omnium Deo ſacrificium laudis, offerimus illud diuinũ, ſacroſanctum, Deoq́ dignißimum ſacrificium, offerimus nouo ritu, ſecundum nouum teſtamentum, illam mũdã hoſtiam.

Conſultò loquitur obſcurius ne myſteria Ethnicis prodat.

Græca ſic habent: θύομεν δῆτα τοι γάρ οὖν τῷ ἐπὶ πάντων θεῷ θυσίαν αἰνέσεως, θύομεν τὸ ἔνθεον καὶ σεμνὸν καὶ ἱεροπρεπὲς θῦμα, θύομεν καινῶς κατὰ τὴν καινὴν διαθήκην τὴν καθαρὰν θυσίαν.

Et paulò poſt: *Igitur & ſacrificamus & incendimus, aliâs quidem memoriam magni illius ſacrificij, ſecundum ea, quæ ab ipſo tradita ſunt, myſteria celebrantes, & gratias Deo pro ſalute noſtra agentes, religioſoſq́ hymnos, & orationes ſanctas illi offerentes: aliâs nos ipſos totos ei conſecrantes, eiuſq́ Pontifici, ipſi vtique verbo, corpore animoq́ dicantes.*

Myſteria miſſæ à Domino tradita in memoriã magni illius ſacrificij ſemel in cruce peracti.

Et non multò antè eodẽ capite, de Chriſto loquens:

Μετὰ δὴ πάντα διόντι θαυμάσιον θῦμα, καὶ σφάγιον ἐξαίρετον, τῷ πατρὶ καλλιερησάμενος, ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἡμῶν ἀνήνεγκε σωτηρίας, μνήμην καὶ ἡμῖν παραδοὺς ἀντὶ θυσίας τῷ θεῷ διηνεκῶς προσφέρειν.

Hoc eſt: *Poſt omnia quaſi mirabilẽ quandam victimam ſacrificiumq́ eximium, Patri ſuo*

Nota. *operatus pro noſtra omnium ſalute obtulit, eiuſque rei memoriam, vt nos ipſi Deo pro ſacrificio offeremus, inſtituit.*

Damaſcenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14

Geneſ. 14. *PAne & vino ſuſcepit Melchiſedech Abraham ex cade alienigenarũ reuertentẽ, qui erat Sacerdos Dei altiſsimi. Illa menſa hanc myſticã præfigurauit menſam: velut & ſacerdos ille, Chriſti*

Pſal. 110. *veri ſacerdotis figuram præ ſe ferebat & imaginẽ. Tu es, inquit, Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Hunc panem panes figurabant propoſitionis. Hæc eſt pura ſcilicet hoſtia, & incruenta, quam ab ortu vſque ad occaſum ipſi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti.*

Oblatio mũda ſeu incruenta hoſtia, quæ vbique offertur, corpus & ſanguis Chriſti eſt.

Haymo in Malachiam.

Manifeſtiſsima, inquit, *eſt prophetia, nec eget profundiori expoſitione. Loquitur autem ad ſacerdotes propriè, qui illicitas victimas offerebãt: atq; ideo voluntas Dei, quę exacerbabãt, nõ erat in eis: ſimul etiam docet carnalibus illorum victimis, ſpirituales victimas ſucceſſuras: nec in vna tantùm*

Sacrificiũ Eccleſiæ. *prouincia Iudæorum, ſed in omni loco offerri Deo oblationem mundam, hoc eſt ſacrificium quod nũc frequentat Eccleſia.*

Rupertus Tuicienſis in eundẽ locũ.

Oblatio munda. *Et offerent,* inquit, *nomini meo oblationẽ mundam, oblationem panis & vini, ſacramentum corporis*

poris & ſanguinis redemptoris ſui. Hæc oblatio ſic eſt munda, vt exterius nullum habeat cruoris horrorem, & interius ſine inuiſibili. er mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Itaq; in gentibus, tale oblationem offerentibus, magnum eſt nomen meum &cæt.

Nunc age Stancare, perfrica frontem, & aude dicere, Irenæum, Iuſtinum, Martialem, Chryſoſtomum, Clementem, Auguſtinum, Hieronymum, Euſebium Cæſarienſem, Damaſcenum (adde etiam Tertullianum, Cyprianum, Theodoretum & Remigium, quorum interpretationes, ne prolixior ſim, prudens omitto) Papiſtas fuiſſe: quòd hunc Malachiæ locum de ſacrificio Miſſę palàm interpretantur. Aude negare, eoſdem ſanctiſsimos viros clariſsimaque Eccleſiæ lumina, & ex his plerosq; Apoſtolorum diſcipulos, minimè eſſe Catholicos: qui Confeſsioniſtis Luteranis tuis (quos te non pudet Catholicorum nomine appellare) manifeſtè aduerſetur: Quòd ſi illi verè ſunt Catholici; ergo tu & tui Hæretici. Tu verò lector optime conſidera, vtri potius parti in ſcripturarum interpretatione fidem adhibeas: num viris Apoſtolicis omni exceptione, maioribus, imò vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ, an iſti homini vaniſsimo, qui vt ſacratiſsimum Eccleſiæ ſacrificiũ, verus Antichriſti præcurſor

Papiſtæ inquit Stãcarus, locum hunc Malachiæ, de Sacramento Eucharistiæ interpretantur: Luterani non item.

curſor, euertat (id quod minimè tamen efficiet) cum Iudæis & hæreticis iam pridem conſpirauit.

Nam quæ de Minchah oblatione eiuſque ſpeciebus (ne parùm Hebræus videatur) verboſè diſſerit, prorſus nihil ad rem pertinent. Sic enim tandem concludit: Cùm itaque ex ſcripturis habeamus, & quid ſit Minchah, & quot eius ſpecies: & quòd ſacrificia & cultus Leuiticus, hoc eſt legalia omnia, & cæremoniæ oẽs poſt aduẽtum Chriſti, in Chriſto, & in Chriſtum finem habuerunt, vt ſupra probatũ eſt. Cúque ſacrificium Papiſticum (ſic enim tremendum illud & auguſtiſsimum Miſſæ ſacroſanctæ ſacrificium, os iſtud impudens appellat) tantùm ex farina & aqua, & vino aqua mixto, nõ quidem ex Chriſti inſtitutione, ſed ex commento capitis illorum conſtet: & velint ex dicto DEI per Malachiam capite primo ſuum ſacrificium inſtitutum fuiſſe: duabus de cauſis Papiſtarum ſacrificium in fumum euaneſcit.

Stancari verba.

Atqui oſtẽſũ eſt Chriſtum in cœna nouam hanc noui teſtamenti oblationẽ inſtituiſſe mentitur ergo Stancarus.

Prima, qua Minchah Papiſtica, ſeu ſacrificium vel oblatio eorum non eſt aliqua ſpecies ex ſpeciebus Minchæ (nec enim oleum, nec ſal, nec thus cum ſuo ſacrificio miſcent) quas Deus fieri præcepit in lege.

Stancaria ries, quo ſacrificiũ putat euerſũ ſeipſum euertit.

Secunda, ſi etiam eſſet, eſſet per Chri-

ſtum

ſtum abrogata & in Chriſto impleta. Hactenus Stancarus. O hominem Dialecticũ, poſt tã multa effuſa verba nihil concludentem. Hoccine eſt interpretari ſcripturas? Peruertere iſtud eſt Stancare, non interpretari. Sed ita oportet eum facere, qui in ipſa libri inſcriptione pollicetur ſe fundamenta ſcripturæ ſubuerſurum. Atqui nos viciſsim captiunculas iſtas tuas & Sophiſticas nænias è veſtigio ſubuertemus. Si enim Minchæ veteres, hoc eſt legalia ſacrificia & Cæremoniæ omnes, vt tute agnoſcis, per CHRISTVM abrogatæ & in CHRISTO impletæ fuerunt: ergò Minchah Chriſtiana, hoc eſt ſacrificium noui teſtamenti non debet eſſe ex ſpeciebus Minchę veteris: ergò nec oleũ, nec ſal, nec thus in ſacrificio Chriſtiano locum habet. Cur tu igitur in noſtro ſacrificio iſta exigis? Audis in Propheta ſacrificia veteris legis reijci à Domino, audis in locum ipſorum nouum genus Minchę, ſeu oblationis mundę ſucceſſurum: & tu à nobis adhuc Minchas illas Iudaicas requiris? Si idcirco, quia ſacrificium Chriſtianum non eſt vlla ſpecies veteris oblationis minchę ſacrificium noui teſtamenti in fumum, vt inquis, euaneſcit: ergo nihil

Stancari argumentum in forma. Quicquid non eſt ex ſpeciebus minchæ ſeu oblationis veteris teſtamẽti, id oblatio noui teſtamẽti eſſe non poteſt. At oblatio Papiſtica non eſt ex ſpeciebus oblationis veteris teſtamẽti. Ergo oblatio Papiſtica non eſt oblatio noui teſtamẽ. R. Negãdo maiorem, quæ falſa eſt, imò verò, ſi eſſet oblatio noſtra idem cum oblationibus veteris teſtamẽti, nõ eſſet noua teſtamenti oblatio.

In locum veterum ſuccedens, quæ per Chriſtum abrogatæ, & in Chriſto impletæ fuerunt.

oblatio Chriſtianorũ à Iudaicis differet? ergo adhuc viuit & viget lex Moſaica: ergo nondum à ſolis ortu vſq; ad occaſum magnum eſt nomen Domini inter gentes: ergo nondum in omni loco incenſum adoletur & ſacrificatur nomini eius oblatio munda. Quid aliud dicere potuiſſes, ſi Iudæus eſſes? Audis à Propheta manifeſtè prædictum, oblationem mundam in locum oblationum veterum ſucceſſuram, hoc eſt, vt Irenæus interpretatur, nouam noui teſtamenti oblationem, quam Dominus in vltima cœna docuit & inſtituit, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo: & tu nobis adhuc oblationes veteris teſtamenti, iam pridem mortuas & ſepultas, & à Deo manifeſtè ſpretas & abiectas, ab orco reuocare conaris? At tu (quando tibi Iudaizare tantopere placet) cum Iudæis ſacrifices, & circumcidaris licet: nobis cũ Iudæis & eorum oblationibus, & tribus illis placentis, quas tu libenter commemoras, quòd eas fortaſſe aliquando deguſtaſti, amplius rei nihil eſt. Quæ verò iſthæc impudentia eſt ſacrificium noſtrum Chriſtianum ad illa vetera exigere? Quaſi verò non apertè Propheta prædixerit, illa vetera ceſſatura, & in eorum locum nouum ſacrificium & nouum ſacerdotium ſucceſſurum, neq;

Spiritalia ſacrificia non ſunt noua & propria noui teſtamẽti: ſed in veteri lege uidem vſitata.

id temporale, ſed æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: de quo paulò pòſt plura audiemus. Tuæ igitur Sophiſticæ captiunculæ in fumos potiùs abierunt: & veritas Domini manet in æternum.

Sed quoniam tu Iudæis, vt videris, maiorem fidem adhibes, quàm Chriſtianis patribus, iiſdemque Apoſtolicis viris, & Apoſtolorum diſcipulis: qui hæc multò rectius & veriùs quàm Iudæi & Iudæorũ Rabbini, & intelligere & interpretari potuerunt: age Rabbinorum aliquos, veriſsimę huius loci interpretationis fideles teſtes & comprobatores in tuam gratiã audiamus. Et Rabbi quidem Samuelem cap. 20. eum ipſum locum de Chriſtiano externoque ſacrificio interpretantem, per te ipſe legere, & intelligere fortaſſe poteris. Nos verò in eorum gratiam qui hebraica non legũt, Rabbi Symeonis & Rabbi Ionatæ, quorũ vterque ante Meſsiam vixit, verba proferemus.

Rabbi Simeon in libro cui titul9 eſt, Mechkar haſſodot, id eſt, inueſtigatio Secretorum.

Nota. Ceſſabunt omnes Mincha veteres: & ſuccedet noua oblatio in pane & vino.

HOc eſt ſacrificium, quod poſtquam venerit Meſsias, faciant ſacerdotes coram Deo ſancto & benedicto. Tunc enim ceſſabunt omnia ſacra, quæ prius fiebant:

quia Deus priuauit nos omni ſacrificio,& mundo ſacrificio,vt alios doceret Chriſtianos, vt ipſi vitarent nos,vt non contaminarentur: ſicut nos vitauimus gentes omni tempore, quo ſacrificium noſtrum fuit mundum apud Dnum,& acceptum.

Rabbini Stancarũ condemnãt Audiſne iam Stancare, quanta & ipſi Rabbini tui aduerſum te dicunt teſtimonia? Quantò rectius iſti quàm tu de tribus capellis,de tribus inquam placẽtis: dũ nobis Iudaicarum fabularum plauſtra verbo ſè recenſes, vt ſcilicet nobis perſuadeas Chriſtum iuxta ritum veteris Paſchatis Sacramentum ſuum inſtituendo celebraſſe:& audes inſuper dicere,ritum hunc quẽ in communicatione corporis & ſanguinis Domini Chriſtiani obtinent,quantum ad fractionem panis & diſpenſationem calicis attinet, cum hoc quo Iudæi ſuum Paſcha celebrant,eundem ritum eſſę. Quòd ſi ita eſt,ergò legales Ceremoniæ per Chriſtum non ſunt antiquatæ, ergò figurę non ſucceſsit veritas:ergo nullam noui teſtamenti oblationem, nullam hoſtiam mundam, Chriſtus inſtituit:cuius contrarium ſuprà probauimus. Atqui & ipſe fateris legalia omnia & ceremonias omnes in Chriſto & in Chriſtum finem habuiſſe. Falſum igitur eſt, quod ais, eundem hunc ritum cum illo Iudaico eſſe. Quã verò es ridiculus, dũ Pauli Apoſtoli verba, quaſi obtorto collo,

Rabbi,Samuel ad Iſaac.ca,20.

Stancarus quàm multa affingat de ſuo.

Io, ad tuum figmentum ſtabiliendum pertrahis. Ita enim ſcribis: Nam vt Apoſtolus 1.Cor.10. ſcribit, manifeſtè apparet Iudæos etiam nunc eundem ritum ſeruare, quę tempore Chriſti ſeruarunt. At quomodo id probas? Ait enim, inquis, Apoſtolus: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? quoniam vnus panis, vnũ corpus multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Atqui Apoſtolus nihil hîc minus quàm de Iudæis loquitur. Quod quia ad rem nihil pertinere per teipſe vides, addis poſtea: Et quamuis hæc Apoſtolus de Sacramento Euchariſtiæ ſcripſerit, tamen quia Chriſtus iuxta ritum veteris Paſchatis Sacramentum ſuum inſtituendo celebrauit. &c.

Atqui hoc ipſum eſt in controuerſia, hoc erat probandum Stancare. Nam Apoſtolus de Iudæis aut eorum Paſchate, ne verbum hîc quidem. Illud autem merum commentum tuum eſt, Chriſtum iuxta ritum veteris Paſchatis Sacramentum ſuum inſtituendo celebraſſe. Tales ſunt, lector optime, Stancari ratiocinationes: qui vbi ſcripturarum teſtimonijs ac ipſa veritate deſtituitur, ad Iudaicas fabulas & ad tres ſuas placentas confugit infœlix. Et tamẽ in nos paulò poſt ſolenne illud Axioma Luteranum

mum prædicationis ; tametſi quiddam prætermiſi, quum animo nouem enumerauerim , putaui me tradidiſſe decem. Quodnam igitur ſacrificij genus prætermiſſum eſt? Eſt decimum ſacrificium fructificationis.

Clemens Pontifex & Martyr lib. 6. conſtit. Apoſtolic. cap. 23.

CHriſtus circuncisionem ſuſtulit, cum eam in ſe expleſſet, Baptiſmum, ſacrificium, ſacerdotium, localem adorationem alio modo mutauit. Pro quotidiano Baptiſmo, vnum ſolum Baptiſmū inſtituit, qui in mortem perficitur. Pro vna tribu, de qualibet natione præcepit optimos deligi : nec corporum integritatem ſpectare , ſed religionem ac vitam. Pro ſacrificio cruento, rationale & incruentum ac myſticum ſacrificium inſtituit, quod in mortem Domini per ſymbola corporis & ſanguinis ſui celebratur. Pro adoratione locali, ab ortu ſolis vſque ad occaſum, in omni loco imperij ſui, nomen ſuum celebrari ſtatuit. Quare non ſuſtulit à nobis legem, ſed vincula.

Nota non ſuſtulit Dominus ſacrificiū & ſacerdotiū externum, ſed mutauit. Ad Heb. 7. Rationale & incruentum ac myſticū ſacrificium.

D. Martialis, in Epiſt. ad Burdegalen. cap. 3.

NAM dum altaria dæmonum in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei ad conſecrationem reſeruari iuſſimus: quæ dedicata in nomine Domini Dei Iſraël, & ipſius teſtis Stephani, qui pro eo à Iudæis paſſus eſt: non hominis cultum ſed Dei in ea frequentatis. Stephanus enim non Deus ſed

Cōſecratio altaris in nomine Domini & Stephani. Chriſtus Deus Iſrael.

ſed amicus Dei fuit, qui pro teſtimonio eius animã ſuam poſuit: cuius ſanguine ipſa menſa eſt decorata, quia ſuo ſanguine Ieſus Chriſtus cõprobatus eſt eſſe Deus: & qui crediderit, ornamenta fidei maiora perceperit. Sacrificium enim Deo creatori offertur in ara, non homini, neque Angelo. Nec ſolùm in ara ſanctificata, ſed vbique offertur Deo oblatio mũda, ſicut teſtatus eſt; cuius corpus & ſanguinem in vitam æternam offerimus dicentes: Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Ipſe enim corpus habens, & immaculatum, & ſine peccato, quia cõceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, in ara crucis ipſum permiſit immolari. Quòd autem Iudæi per inuidiã immolarunt, putantes ſe nomen eius à terra abolere: nos cauſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus: ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipſe Dominus noſter iuſsit nos agere in ſui commemorationem.

Sacrificium Deo offertur in altari.

Malach. 1

Ioan. 4.

Oblatio corporis Domini in altari cauſa ſalutis noſtræ.

Sacrificiũ propiciatorium.

Chriſtus præcepit offerre.

Auguſtin. lib. 19. De Ciuit. Dei ca. 23.

DEI Præclariſſimum atq; optimum ſacrificium nos ipſi ſumus. Hæc eſt ciuitas eius cuius rei myſterium celebramus oblationibus noſtris, quæ fidelibus nota ſunt. Ceſſaturas enim victimas quas in vmbra futuri offerebant Iudæi: & vnum ſacrificium gentes à ſolis ortu vſq; ad occaſum, ſicut iam fieri cernimus, oblaturas per Prophetas Hebræos, oracula increpuere diuina.

Oblatio munda.

Pſal. 110. Idem lib. 18 de Ciuit. Dei. cap. 35.

Nota. *Malachias prophetans Eccleſiam, quam per CHRISTVM iam cernimus propagatam, Iudæis apertiſſimè dicit ex perſona DEI: & cæter: Non eſt mihi voluntas in vobis &c. Ab ortu ſolis Hoc ſacrificium per Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu vſq; ad occaſum Deo iam videamus offerri: ſacrificium autem Iudæorum, quibus dictũ eſt. Non eſt mihi voluntas in vobis, nec accipiam &c. ceſſaſſe negare non poſſunt: quid adhuc expectant alium Chriſtum, cùm hoc quod prophetatum eſt, legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, niſi per ipſum.* Hęc Auguſt.

Oblationes notæ fideli bus, quæ ſint apud Auguſtin.

Quę autem ſint illę oblationes, quę fidelibus notę ſunt (ne quis hęc cum Stancarianis, ad ſacrificia laudis, ſiue ſpirituales oblationes detorqueat) oſtendit idem alibi his verbis.

Tomo 8. cõcione 1.

Nota, et vide ſacrificium corporis & Sanguinis Domini diffuſum nunc toto orbe terrarum.

Erat, vt noſtis, ſacrificium Iudæorum antea ſecundum ordinem Aaron, in victimis pecorum, & hoc in myſterio. Nondum enim erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod fideles norũt; & qui Euangeliũ legerunt: quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum. Hęc Auguſt: Quòd ſi ita eſt, ergo Stancarus cum ſuis Confeſsioniſtis, qui hoc ſacrificium, non iam ſecundum ordinem Aaron cruẽtum, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech incruentum, ſacrificium corporis & ſangui-

nis Domini ſub panis & vini ſpeciebus nõ agnoſcunt, infideles ſunt: nec Euangelium legunt, aut legentes non intelligunt, aut certè nolunt intelligere, vt benè & idem cum vniuerſa Eccleſia Catholica ſapiant, & ſentiant.

Stancarus cum ſuis infidelis eſt, Auguſtino teſte.

Lib. 1. cap. 20. contra aduerſ. legis & prophetarum.

Idem alibi: *Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham: & ſi iam ſunt participes eius, vident tale ſacrificium nunc offerri* DOMINO *in toto orbe terrarum.* Ac paulò poſt productis Malachiæ verbis, *Non eſt mihi voluntas in vobis, hoſtiam non accipiam de manibus veſtris. Ecce,* inquit, *quod eſt ſecundum ordinẽ Aaron:* ac mox: *in omni loco offertur incenſum nomini meo, & hoſtia pura. Ecce,* inquit, *quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Nota. Cõtra Fauſtũ Manich. lib. 20. cap. 18.

Et idem rurſum alibi: *Hebræi in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis et varijs modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam* CHRISTVS *obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti eius ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.*

Nota. In Miſſa celebratur memoria cruẽtis illius & iã peracti ſacrificij oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.

Hieronymus ſuper eadem Malachiæ verba.

PRopriè nunc ad Sacerdotes Iudæorum ſermo fit Domini, qui offerunt cæcum & claudum & languidum ad immolandum: vt ſciant

carnalibus victimis ſpirituales victimas ſucceſſuras, & nequaquam taurorum hircorumq́ ſanguinem: ſed thymiama, hoc eſt, ſanctorum orationes Domino offerendas, & non in vna orbis prouincia Iudææ, nec in vna Iudææ vrbe Hieruſalem, ſed in omni loco offerri oblationē: nequaquā immundā, vt à populo Iſrael: ſed mūdam vt in Cæremonijs Chriſtianorū. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum, magnum eſt nomen Domini in gentibus.

Incenſum. Orationes ſanctorū. Oblatio mūda in Cæremonijs Chriſtianorum, ergo de externo ſacrificio intelligit.

Euſebius Cæſarienſis Euangelicarū demonſtrationum. lib. 1. ca. 6. & 10.

Malach. 1.

Malachias autem ſimul & ad eos qui ex circumciſione ſunt, ſermonem dirigit, & de gentibus talia prædicit. Non eſt voluntas mea dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium non ſuſcipiam de manibus veſtris: quoniam ab ortu vſq; ad occaſum nomen meū glorificatum eſt in gentibus: & in omni loco incēſum offertur nomini meo, & ſacrificium mundum.

Quod enim in omni loco dicit incenſum & ſacrificium offerri Deo, quid aliud ſignificat, niſi non Hieroſolymis, neque definitè in hoc, aut in illo loco id futurum, ſed in omni regione, & in omnibus gentibus, quæ quidem & orationis incenſum, & ſacrificium quod mundum dictum eſt, non per cruores, ſed per pias actiones ſummo Deo eſſent oblaturæ?

Orationis incenſum, ſpirituales hoſtiæ. Oblationes mūdæ piæ actiones Miſſæ.

Quæ autem ſint piæ iſtæ actiones (ne quis hæc ad ſpiritualia ſacrificia referat) alibi apertiùs

oſtendit: cùm iiſdē Malachiæ verbis commemoratis, mox inquit:

Offerimus propterea illi omnium Deò ſacrificium laudis, offerimus illud diuinū, ſacroſanctum, Deoq́ dignißimum ſacrificium, offerimus nouo ritu, ſecundum nouum teſtamentum, illam mūdā hiſt[illegible]iam.

Conſultò loquitur obſcurus ne myſteria Ethnicis prodat.

Græca ſic habent: θύομεν δῆτα τι γὰρ ὄυν τῷ ἐπὶ πάντων θεῷ θυσίαν αἰνέσεως, θύομεν τὸ ἔνθεον καὶ σεμνὸν καὶ ἱεροπρεπὲς θῦμα, θύομεν καινῶς κατὰ τὴν καινὴν διαθήκην τὴν καθαρὰν θυσίαν.

Et paulò poſt: *Igitur & ſacrificamus & incendimus, aliâs quidem memoriam magni illius ſacrificij, ſecundum ea, quæ ab ipſo tradita ſunt, myſteria celebrantes, & gratias Deo pro ſalute noſtra agentes, religioſosq́ hymnos, & orationes ſanctas illi offerentes: aliâs nos ipſos totos ei conſecrantes, eiusq́ Pontifici, ipſi vtique verbo, corpore animoq́ dicantes.*

Myſteria Miſſæ à Domino tradita in memoriā magni illius ſacrificij ſemel in cruce peractā.

Et non multò antè eodē capite, de Chriſto loquens:

Μετὰ δὴ πάντα διόντι θαυμάσιον θῦμα, καὶ σφάγιον ἐξαίρετον, τῷ πατρὶ καλλιερησάμενος, ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἡμῶν ἀνήνεγκε σωτηρίας, μνήμην καὶ ἡμῖν παραδοὺς ἀντὶ θυσίας τῷ θεῷ διηνεχῶς προσφέρειν.

Hoc eſt: *Poſt omnia quaſi mirabilē quandam victimam ſacrificiumq́ eximium, Patri ſuo*

Nota. *operatus pro noſtra omnium ſalute obtulit, eiuſque rei memoriam, vt nos ipſi Deo pro ſacrificio offeremus, inſtituit.*

Damaſcenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14

Geneſ. 14. *PAne & vino ſuſcepit Melchiſedech Abraham ex cæde alienigenarũ reuertentẽ, qui erat Sacerdos Dei altiſsimi. Illa menſa hanc myſticã præfigurauit menſam: velut & ſacerdos ille, Chriſti*

Pſal. 110. *veri ſacerdotis figuram præ ſe ferebat & imaginẽ. Tu es, inquit, Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Hunc panem panes figurabant propoſitionis. Hæc eſt pura ſcilicet hoſtia, & incruenta, quam ab ortu vſque ad occaſum ipſi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti.*

Oblatio mũda ſeu incruenta hoſtia, quæ vbique offertur, corpus & ſanguis Chriſti eſt.

Haymo in Malachiam.

Manifeſtiſsima, inquit, *eſt prophetia, nec eget profundiori expoſitione. Loquitur autem ad ſacerdotes propriè, qui illicitas victimas offerebãt: atque ideo voluntas Dei, quẽ exacerbabãt, nõ erat in eis: ſimul etiam docet carnalibus illorum victimis, ſpirituales victimas ſucceſſuras: nec in vna tantùm prouincia Iudæorum, ſed in omni loco offerri Deo oblationem mundam, hoc eſt ſacrificium quod nũc frequentat Eccleſia.*

Sacrificiũ Eccleſiæ.

Rupertus Tuicienſis in eundẽ locũ.

Oblatio munda. *Et offerent,* inquit, *nomini meo oblationẽ mundam, oblationem panis & vini, ſacramentum corporis*

poris & ſanguinis redemptoris ſui. Hæc oblatio ſic eſt munda, vt exterius nullum habeat cruoris horrorem, & interius ſiue inuiſibili. er mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Itaq; in gentibus, talē oblationem offerentibus, magnum eſt nomen meum &cæt.

Nunc age Stancare, perfrica frontem, & aude dicere, Irenæum, Iuſtinum, Martialem, Chryſoſtomum, Clementem, Auguſtinum, Hieronymum, Euſebium Cæſarienſem, Damaſcenum (adde etiam Tertullianum, Cyprianum, Theodoretum & Remigium, quorum interpretationes, ne prolixior ſim, prudens omitto) Papiſtas fuiſſe: quòd hunc Malachiæ locum de ſacrificio Miſſę palàm interpretantur. Aude negare, eoſdem ſanctiſsimos viros clariſsimaque Eccleſiæ lumina, & ex his pleroſq; Apoſtolorum diſcipulos, minimè eſſe Catholicos: qui Confeſsioniſtis Luteranis tuis (quos te non pudet Catholicorum nomine appellare) manifeſtè aduerſetur: Quòd ſi illi verè ſunt Catholici; ergo tu & tui Hæretici. Tu verò lector optime conſidera, vtri potius parti in ſcripturarum interpretatione fidem adhibeas: num viris Apoſtolicis omni exceptione, maioribus, imò vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ, an iſti homini vaniſsimo, qui vt ſacratiſsimum Eccleſiæ ſacrificiũ, verus Antichriſti præ-

Papiſtæ inquit Stācarus, locum hunc Malachiæ, de Sacramento Eucharistiæ interpretantur: Luterani non item.

curſor, euertat (id quod minimè tamen efficiet) cum Iudæis & hæreticis iam pridem conſpirauit.

Nam quæ de Minchah oblatione eiuſque ſpeciebus (ne parùm Hebræus videatur) verboſè diſſerit, prorſus nihil ad rem pertinent. Sic enim tandem concludit: Cùm itaque ex ſcripturis habeamus, & quid ſit Minchah, & quot eius ſpecies: & quòd ſacrificia & cultus Leuiticus, hoc eſt legalia omnia, & cæremonię oẽs poſt aduẽtum Chriſti, in Chriſto, & in Chriſtum finem habuerunt, vt ſupra probatũ eſt. Cũque ſacrificium Papiſticum (ſic enim tremendum illud & auguſtiſsimum Miſſæ ſacroſanctæ ſacrificium, os iſtud impudens appellat) tantùm ex farina & aqua, & vino aqua mixto, nõ quidem ex Chriſti inſtitutione, ſed ex commento capitis illorum conſtet: & velint ex dicto DEI per Malachiam capite primo ſuum ſacrificium inſtitutum fuiſſe: duabus de cauſis Papiſtarum ſacrificium in fumum euaneſcit.

Stancari verba.

Atqui oſtẽſũ eſt Chriſtum in cœna nouam hanc noui teſtamenti oblationẽ inſtitutiſſe mentitur ergo Stancarus.

Prima, qua Minchah Papiſtica, ſeu ſacrificium vel oblatio eorum non eſt aliqua ſpecies ex ſpeciebus Minchæ (nec enim oleum, nec ſal, nec thus cum ſuo ſacrificio miſcent) quas Deus fieri præcepit in lege.

Stancaria ries, quo ſacrificiũ putat euerſũ ſeipſum euertit.

Secunda, ſi etiam eſſet, eſſet per Chri-

ſtum abrogata & in Chriſto impleta. Hactenus Stancarus. O hominem Dialecticũ, poſt tã multa effuſa verba nihil concludentem. Hoccine eſt interpretari ſcripturas? Peruertere iſtud eſt Stancare, non interpretari. Sed ita oportet eum facere, qui in ipſa libri inſcriptione pollicetur ſe fundamenta ſcripturæ ſubuerſurum. Atqui nos viciſsim captiunculas iſtas tuas & Sophiſticas nænias è veſtigio ſubuertemus. Si enim Minchæ veteres, hoc eſt legalia ſacrificia & Cæremoniæ omnes, vt tute agnoſcis, per CHRISTVM abrogatæ & in CHRISTO impletæ fuerunt: ergò Minchah Chriſtiana, hoc eſt ſacrificium noui teſtamenti non debet eſſe ex ſpeciebus Minchę veteris: ergò nec oleũ, neç ſal, nec thus in ſacrificio Chriſtiano locum habet. Cur tu igitur in noſtro ſacrificio iſta exigis? Audis in Propheta ſacrificia veteris legis reijci à Domino, audis in locum ipſorum nouum genus Minchę, ſeu oblationis mundę ſucceſſurum: & tu à nobis adhuc Minchas illas Iudaicas requiris? Si idcirco, quia ſacrificium Chriſtianum non eſt vlla ſpecies veteris oblationis minchę ſacrificium noui teſtamenti in fumum, vt inquis, euaneſcit: ergo nihil

Stancari argumentum in forma. Quicquid non eſt ex ſpeciebus minchæ ſeu oblationis veteris teſtamẽti, id oblatio noui teſtamẽti eſſe non poteſt. At oblatio Papiſtica non eſt ex ſpeciebus oblationis veteris teſtamẽti. Ergo oblatio Papiſtica non eſt oblatio noui teſtamẽ. R. Negãdo maiorem, quæ falſa eſt, imò verò, ſi eſſet oblatio noſtra idem cum oblationib. veteris teſtamẽti, nõ eſſet noua teſtamenti oblatio, in locum veterum ſuccedens, quæ per Chriſtum obrogatæ, & in Chriſto impletæ fuerunt.

oblatio Chriſtianorũ à Iudaicis differet: ergo adhuc viuit & viget lex Moſaica: ergo nondum à ſolis ortu vſq; ad occaſum magnum eſt nomen Domini inter gentes: ergo nondum in omni loco incenſum adoletur & ſacrificatur nomini eius oblatio munda. Quid aliud dicere potuiſſes, ſi Iudæus eſſes? Audis à Propheta manifeſtè prædictum, oblationem mundam in locum oblationum veterum ſucceſſuram, hoc eſt, vt Irenæus interpretatur, nouam noui teſtamenti oblationem, quam Dominus in vltima cœna docuit & inſtituit, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo: & tu nobis adhuc oblationes veteris teſtamenti, iam pridem mortuas & ſepultas, & à Deo manifeſtè ſpretas & abiectas, ab orco reuocare conaris? At tu (quando tibi Iudaizare tantopere placet) cum Iudęis ſacrifices, & circumcidaris licet: nobis cũ Iudæis & eorum oblationibus, & tribus illis placentis, quas tu libenter commemoras, quòd eas fortaſſe aliquando deguſtaſti, amplius rei nihil eſt. Quæ verò iſthæc impudentia eſt ſacrificium noſtrum Chriſtianum ad illa vetera exigere? Quaſi verò non apertè Propheta prædixerit, illa vetera ceſſatura, & in eorum locum nouum ſacrificium & nouum ſacerdotium ſucceſſurum, neq;

Spiritalia ſacrificia non ſunt noua & propria noui teſtamẽti: ſed in veteri lege ijdem vſitata.

id temporale, ſed æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: de quo paulò pòſt plura audiemus. Tuæ igitur Sophiſticæ captiunculæ in fumos potiùs abierunt: & veritas Domini manet in æternum.

Sed quoniam tu Iudæis, vt videris, maiorem fidem adhibes, quàm Chriſtianis patribus, iiſdemque Apoſtolicis viris, & Apoſtolorum diſcipulis: qui hæc multò rectius & veriùs quàm Iudæi & Iudæorũ Rabbini, & intelligere & interpretari potuerunt: age Rabbinorum aliquos, veriſsimę huius loci interpretationis fideles teſtes & comprobatores in tuam gratiã audiamus. Et Rabbi quidem Samuelem cap. 20. eum ipſum locum de Chriſtiano externoque ſacrificio interpretantem, per te ipſe legere, & intelligere fortaſſe poteris. Nos verò in eorum gratiam qui hebraica non legũt, Rabbi Symeonis & Rabbi Ionatæ, quorũ vterque ante Meſsiam vixit, verba proferemus.

Rabbi Simeon in libro cui titulꝰ eſt, Mechkar haſſodot, id eſt, inueſtigatio Secretorum.

Nota. ceſſabunt omnes Mincha veteres: & ſuccedet noua oblatio in pane & vino.

HOc eſt ſacrificium, quod poſtquam venerit Meſsias, faciant ſacerdotes coram Deo ſancto & benedicto. Tunc enim ceſſabunt omnia ſacra, quæ prius fiebant:

bant: Faciant autem ſacrificium illud ex pane & vino. Quod cum primum Sacerdotes exercebunt, omnes Angeli cæli, audientes illa ſacra ſanctaque verba, ex ore Sacerdotum prodeuntia, intelligentes: inuidebunt mirum in modum illis, & contremiſcent. Iratiq; oẽs ad Deum venient dicẽtes: ô Domine mũdi, quã magna eſt laus iſta, q̃ dediſti Iſraël, qui peccatis pleni ſunt, & nõ dediſti nobis, qui corã te à peccatis ſumus immunes? Deus reſpondebit illis, dicetque: Non eſt vobis locus inuidiæ in Iſraël: quandoquidem vos oratum pro illis acceſsiſtis. Quia autem illi peccatores ſunt, & ad peccandum procliues, ideo vt illis remittam, Meſsiam miſi: docuitque eos hanc excellentem laudem. *Vos verò qui peccare non poteſtis, non indigetis huiuſmodi laude. Tunc Angeli ab ira diſcedentes, dicent Domine Deus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos. Tunc Deus miſericordia implebitur, & virtute ingenti verborum ſanctorum, quæ ab ore Sacerdotum manabunt: illud & omne ſacrificium, quod in vnaquaque ara celebrabitur, in corpus Meſsiæ conuertetur. Tum Angeli coram Deo ſancto & benedicto laudes maximas edent, dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus excercituum.*

Meßias docuit nouã oblationẽ.

Nota Stancare. Rabbini credunt Tranſubſtãtiatiõẽ, quã tu impiè oppugnas.

Rabbi Ionathas Beſépher kibucim, hoc eſt in libro Collectionum.

ET erit ſacrificium panis in terra, in capite montium Eccleſiæ. Videat qui habet oculos, quòd ſicut dictum eſt; ille eſt Meßias, de quo loquitur totus Pſalmus. Cùm ergò ait: Et erit placenta frumenti in terra in capite montium, vult dicere, quòd placenta panis fiet ſacrificium in capitibus ſacerdotum, qui ſunt in Eccleſia. *Nota Stancare, nota.*

Alius quidam Rabbi.

ERIT buccella panis in terra in vertice montium. Ipſa buccella panis eſt ipſe Meßias, iuxta illud Oſeæ: Inclinabo ad eos cibum, & traham eos in funibus Adam. Sicut enim fuit redemptor primus: ita erit & redemptor nouißimus, id eſt Meßias. Nam ſicut Moyſes dedit panem è cælo: ita Meßias erit, vt ſcriptum eſt, buccella panis in terra. *Nota. Non eſt panis, ſed eſt Deus Meßias.*

Rabbi Samuel ad Iſaac. cap. 20.

Timeo, Domine mi, quòd Deus elongauit nos à ſe & ſacrificium noſtrum: ſed et acceptauit ſacrificium gentium, ſicut ipſe dicit per os Malachiæ prophetæ: Nō eſt mihi volūtas in vobis, dicit Deus, neque recipiam ſacrificium veſtrum: quoniam ab ortu ſolis vſque ad occaſum eius, magnum eſt nomen meum in gentibus, qui offerunt nomini meo ſacrificiū mundum. Ergo apud Deum ſacrificium gentiū eſt mundius, q̄ ſacrificiū noſtrū. Et inſuper

quia Deus priuauit nos omni ſacrificio,& mundo ſacrificio,vt alios doceret Chriſtianos, vt ipſi vitarent nos,vt non contaminarentur: ſicut nos vitauimus gentes omni tempore, quo ſacrificium noſtrum fuit mundum apud Dnum,& acceptum.

Rabbini Stancarũ condemnãt

Audiſne iam Stancare, quanta & ipſi Rabbini tui aduerſum te dicunt teſtimonia? Quantò rectius iſti quàm tu de tribus capellis, de tribus inquam placētis: dũ nobis Iudaicarum fabularum plauſtra verboſè recenſes, vt ſcilicet nobis perſuadeas Chriſtum iuxta ritum veteris Paſchatis Sacramentum ſuum inſtituendo celebraſſe:& audes inſuper dicere, ritum hunc quẽ in communicatione corporis & ſanguinis Domini Chriſtiani obtinent, quantum ad fractionem panis & diſpenſationem calicis attinet, cum hoc quo Iudæi ſuum Paſcha celebrant, eundem ritum eſſe. Quòd ſi ita eſt, ergò legales Ceremoniæ per Chriſtum non ſunt antiquatæ, ergò figurę non ſucceſsit veritas: ergo nullam noui teſtamenti oblationem, nullam hoſtiam mundam, Chriſtus inſtituit: cuius contrarium ſuprà probauimus. Atquì & ipſe fateris legalia omnia & ceremonias omnes in Chriſto & in Chriſtum finem habuiſſe. Falſum igitur eſt, quod ais, eundem hunc ritum cum illo Iudaico eſſe. Quã verò es ridiculus, dũ Pauli Apoſtoli verba, quaſi obtorto collo,

Rabbi, Samuel ad Iſaac. ca, 20.

Stancarus quàm multa affingat de ſuo.

lo, ad tuum figmentum ſtabiliendum pertrahis. Ita enim ſcribis: Nam vt Apoſtolus 1.Cor.10. ſcribit, manifeſtè apparet Iudæos etiam nunc eundem ritum ſeruare, quē tempore Chriſti ſeruarunt. At quomodo id probas? Ait enim, inquis, Apoſtolus: Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? quoniam vnus panis, vnū corpus multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Atqui Apoſtolus nihil hîc minus quàm de Iudæis loquitur. Quod quia ad rem nihil pertinere per teipſe vides, addis poſtea: Et quamuis hæc Apoſtolus de Sacramento Euchariſtiæ ſcripſerit, tamen quia Chriſtus iuxta ritum veteris Paſchatis Sacramentum ſuum inſtituendo celebrauit. &c.

Atqui hoc ipſum eſt in controuerſia, hoc erat probandum Stancare. Nam Apoſtolus de Iudæis aut eorum Paſchate, ne verbum hîc quidem. Illud autem merum commentum tuum eſt, Chriſtum iuxta ritum veteris Paſchatis Sacramentum ſuum inſtituendo celebraſſe. Tales ſunt, lector optime, Stancari ratiocinationes: qui vbi ſcripturarum teſtimonijs ac ipſa veritate deſtituitur, ad Iudaicas fabulas & ad tres ſuas placentas confugit infœlix. Et tamē in nos paulò poſt ſolenne illud Axioma Luteranum

teranũ detonat: Nihil eſſe addendum ſcri-
pturis, nihil affigẽdum de ſuo. Sed hoc ar-
gũmẽtandi genus cõtra nos tantùm valet
fortaſſe, contra Stancarum nihil. Multa
hîc peccat Stancarus: verùm nos omnia
refutare in præſentia non inſtituimus.
Quid enim nobis cum Iudaicis ſuperſtitio-
nibus, aut Talmudicis fabulis, quæ nul-
lum in ſcripturis habent fundamentum?
Sed non deerunt alij, quibus & plùs eſt
temporis, & occupationis minùs, qui hæc
omnia ſi opus fuerit, ſolidè refellant. No-
bis ſat fuerit, locos ſcripturæ quos ipſe de-
prauare & ſubuertere conatur, quos qui-
dem tria Papiſtarum fundamenta ſeu
aſyla præcipua nominat, ex certiſsimis Pa-
trum interpretationibus, quos Deus Ec-
Ad Ephes. 4. cleſiæ ſuæ dedit Paſtores & doctores, hoc
eſt, propheticorum & Apoſtolicorum
ſcriptorum veriſsimos & fideliſsimos in-
terpretes, breuiter aſſerere. Quare iam ad
alterum de Melchiſedeci ſacrificio locum
tranſibimus.

SECVN-

SECVNDVS LOCVS DE MELCHISEDECO eiusque Sacrificio, ſic habet in editione vulgata.

AT verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſsimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cœlum et terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegēte hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. Gen. 14.

Pagninus ſic vertit ad verbum ex hebręo: *Et Melchiſedech Rex Salē ꝑtulit* הוציא (hotſi) *panem & vinum. Et ipſe Sacerdos* (כהן kohen, propriè ſacrificans) *Deo altiſsimo. Et benedixit ei, & dixit: Benedictus Abram Deo altiſsimo, poſſeſſori cœli & terræ. Et benedictus Deus altiſsimus, qui tradidit hoſtes tuos in manu tua. Et dedit ei decimam de omnibus.*

Similia sūt Kohen leel, ſacrificans Deo, et paulò poſt, Baruch leel. Benedictus Deo.

Textus Græcus ſeptuaginta interpretū ita: καὶ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς σαλὴμ, ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους καὶ οἶνον. ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου &c. Hoc eſt. *Et Melchiſedech Rex Salem protulit illi panes & vinum: erat autem Sacerdos Dei altiſsimi. &c. Chaldaica paraphraſis habet: Et ipſe erat miniſter* (propriè miniſtrans משמש Meſchammeſch) *corā Deo excelſo.*

Vbi

Vbi id primò notandum eſt, quòd verbũ הוציא Hotſi, D. Hieronymus ex Hebræo, itemq; Pagninus & alij tam ex Græco quàm ex Hebræo interpretantur, verbo proferendi. Et in Biblijs Vatabli addita eſt hæc annotatio: Cùm ait Moſes, Protulit panem & vinum, intellige, vt ſacrificaret, vel vt offerret Deo. Nam inquit erat Sacerdos Deo altiſsimo.

Deinde obſeruandum, quòd Stancarus non legit in Græco, ἐξήνεγκεν αὐτῷ, hoc eſt protulit ipſi (ſiue Deo, ſiue Abrahamo: vel potiùs priùs Deo ad offerendum, dein de Abrahamo ad veſcendum) vt tamen habent Biblia Regia, nuperà Plantino ædita Antuuerpiæ, ſed ſimpliciter ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον, id eſt, protulit panem & vinum: Quod magis etiam concordat cum Textu Hebraico & Chaldaico.

Pſalmo CIX.

DAVID in Spiritu ſancto de Chriſto pronunciat: *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hebraicè, על דברתי al dibrathi, id eſt, ſecundum ordinem vel ſimilitudinem. Græce κατὰ τὴν τάξιν, id eſt, *ſecundum ordinem.* D. Paulus ad Hebræos 7. loquitur vtroque modo, *& ſecundum ordinem* (κατὰ τὴν τάξιν) verſu 17. *& ſecundum ſimilitudinem* (κατὰ τὴν ὁμοιότητα) *Melchiſedech* verſu 15.

Melchiſedechum obtuliſſe panem & vinum: & eius oblationem figurã fuiſſe Sacrificij noui teſtamenti, ſub iiſdem panis & vini ſpeciebus, à Chriſtô inſtituti. Patrum teſtimonia.

Cyprianus lib.2. Epiſtol.3. ad Cœcilium.

IN ſacerdote Melchiſedech ſacrificij Dominici ſacramentum præfiguratum videmus: ſecundum quod ſcriptura diuina teſtatur, & dicit. Et Melchiſedech Rex ſalem, protulit panem et vinũ, fuit aũt ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis ſpiritus ſanctus ex perſona Patris ad filium dicens. Ante luciferũ genui te. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illô veniens, & inde deſcendens, quòd Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quòd panem et vinum obtulit: quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus? qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt panem et vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem? Et paulò pòſt.

Vt ergo in Geneſi per Melchiſedech Sacerdotẽ benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari, præcedit ante imagô ſacrificij Chriſti, in pane ſcilicet & vino

Nota. ſacrificium Melchiſedech noſtri ſacrificij typus eſt.

Nota, quid ſit ſecundũ ordinem Melchiſedech.

Idem ſacrificium Chriſti & Melchiſedech, niſi quòd hic panem & vinum

ſimplex obtulit: ille verò ſub panis et vini ſpeciebus corpus et ſanguinem ſuum.

& vino conſtituta: quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplerit.

Euſebius lib. 5. demonſtrationum Euangelicarum. cap. 3.

Chriſtus ſacrificiũ obtulit ſecundum ordinẽ Melchiſedech in vltima cœna.

Per miniſtros ſuos adminiſtrat Chriſtus ſacrificiũ ſecundũ ordinẽ Melchiſedech.

ET ſanè oraculi exitus admirabilis ei qui contẽpletur: quemadmodum ſaluator noſter Ieſus, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedech ritu, ea quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui ſacerdos gentium erat, nuſquam videtur ſacrificijs corporalibus functus, ſed vino ſolo & pane, dum ipſi Abraham benedicit: ita ſanè primus ipſe Saluator ac Dominus noſter, deinde qui ab ipſo profecti ſunt ſacerdotes, in omnibus gẽtibus ſpirituale ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius & ſalutaris ſanguinis myſteria repræſentant: quæ ſanè myſteria Melchiſedech tantò antè ſpiritu diuino cognouerat, & rerum futurarũ imaginibus vſus fuerat: ſicut etiam Moyſi ſcriptura teſtificatur, vbi ait: Et Melchiſedech Rex Salem protulit panes & vinum: erat autem ſacerdos Dei altiſſimi & benedixit Abraham.

Melchiſedech vino ſolo & pane ſacrificauit.

Nota ſacerdotes noui teſtamenti ſacrificium offerunt ſecundũ ordinem Melchiſidech.

Auguſtinus in Pſalm. 33. concione 2.

Et hic non legit protulit ipſi.

COram regno ergò Patris ſui mutauit vultum ſuum & dimiſit eum, & abijt: quia erat ibi ſacrificium ſecundum ordinem Aaron, & poſtea. Ipſe de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacri-

cri-

crificium ſecundum ordinem Melchiſedech: Mutauit ergo vultum ſuum in ſacerdotio, & dimiſit gentem Iudæorum,& venit ad gentes.

Idem libro 83. Quæſtion. Quæſt. 41.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ipſe eſt ſacerdos noſter in æternum; ſecundum ordinem Melchiſedech: qui ſeipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris; & eius ſacrificij ſimilitudinem celebrandam, in ſuæ paßionis memoriam cõmẽdauit: vt illud quod Melchiſedech obtulit Deo; tam per totum orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri. Pſal. 109. NOTA.

Habes Chriſtiane lector, incruentum Miſſæ ſacrificium ſimilitudinem eſſe eius quod in cruce peractum eſt: habes Miſſæ ſacrificium à Chriſto commendatum eſſe, vt in paſsionis eius memoriam celebretur. Habes Melchiſedech panem & vinũ Deo obtuliſſe. Habes denique per totum iam terrarum orbẽ viſibiliter illud in Eccleſia offerri, quod Melchiſedech obtulit Deo.

1.
2.
3.
4.

Idem de Ciuit. Dei libr. 17. cap. 20.

EXponens illud: Venite manducate de panibus meis, & bibite vinum quod miſcui vobis. *Hic certè, inquit, agnoſcimus Dei ſapientiam, hoc eſt, verbum Patri coæternum, in vtero virginali domum ſibi ædificaſſe corpus humanum: & huic tanquam capiti membra ſubiunxiſſe Eccleſiam, Martyrum victimas immolaſſe, menſam in vino et panib. præparaſſe: vbi apparet etiam* Prouer. 9.

ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech.

Eccle. 3. *Et infra: Nam & in alio libro qui vocatur Eccleſiaſtes, vbi ait: Non eſt bonum homini, niſi quod manducabit & bibet: quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem menſæ huius pertinet, quam Sacerdos ipſe mediator teſtamenti noui exhibet, ſecundum ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? Id enim Sacrificiū ſucceſſit omnibus illis ſacrificijs veteris teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri: propter quod etiam vocem illam in Pſalmo triceſimo & nono eiuſdem Mediatoris per Prophetam loquentis agnoſcimus: Sacrificium & oblationem noluiſti: Corpus autem perfeciſti mihi. Quia pro illis omnibus ſacrificijs, & oblationibus, corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur.*

Nota. Sacrificiū Melchiſedech ſucceſſit alijs ſacrificijs Typicis.

Pro omnibus alijs ſacrificijs offertur corpus Christi. *Pſalm. 39.*

Idem lib. 1. contra aduerſar. legis & Prophet. cap. 20.

Eccleſia in corpore Chriſti immolat Deo ſacrificium laudis.

Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus, per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſsimas, vſque ad noſtra & deinceps tempora, perſeuerat, & immolat Deo in corpore Chriſti ſacrificium laudis, ex quo Deus Deorum locutus vocauit terram à ſolis ortu vſque ad occaſum.

Per vmbras ſacrificiorum Iſraelus ſecūdum carnē

Hæc quippe Eccleſia eſt Iſrael ſecundum ſpiritum, à quo diſtinguitur ille Iſrael ſecundum carnem, qui ſeruiebat in vmbris ſacrificiorum, quib. ſignificabatur ſingulare ſacrificiū, quòd nunc offert Iſra-

Iſrael ſecundum ſpiritum, cui dictum atq; prædi-ctum eſt: Audi populus meus & loquar tibi Iſrael, & teſtificabor tibi, & cætera, quæ iam ſupra commemoraui. De huius enim domo non accipit vitulos, neq; de gregibus eius hircos. Iſte immolat Deo ſacrificium laudis: non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. Et paulò poſt.

ſignificabat ſingulare ſacrificium ſecundū ordinem Melchiſedech, quod nunc offert Iſrael ſecundū ſpiritum.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham: & iam ſunt participes eius, vident tale ſacrificium nunc offerri de toto orbe terrarum. D E I *autem iuratio incredulorum eſt increpatio. Et quod Deum non pœnitebit ſignificatio eſt, quia hoc ſacrificium non mutabit. Mutauit quippe ſacerdotium ſecundum ordinem Aaron. Vnde alius Propheta dicit ad eum qui carnaliter eſt Iſrael. Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & hoſtiam non accipiam de manibus veſtris: Ecce quod eſt ſecundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit & dicit: Quia ab ortu ſolis vſque ad occaſum glorificatum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & hoſtia pura, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotēs. Ecce quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Pſalm. 109
Geneſ. 14.
Eſt ergo nūc viſibile ſacrificiū in Eccleſiâ ſacrificio Melchiſedech ſignificatum.
Malach. 1.
Nota.

Idem de ciuit. Dei lib. 16. cap. 22. *Lege & li. 17. cap. 5.*

Melchiſedech oblatio fuit typus ſacrificij, quod nūc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum.
Malach. 1.
Pſalm. 109

IBI quippe primum (quando fuit benedictus Abraham à Melchiſedech) apparuit ſacrificium, quod nūc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleuitq; illud quod longè poſt hoc factū per Prophetam dicitur ad Chriſtū, qui fuerat venturus in carnem: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Non ſcilicet ſecundū ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferēdus, illuceſcentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabantur.

Idem lib. Quæſtionum veteris teſtamenti cap. 109.

MElchiſedech Patri fidelium tradidit Euchariſtiam corporis & ſanguinis Domini, vt præfiguraretur in Patre, quæ in filijs futura erat veritas.

Idem Epiſt. 95. ad Innocētiū Papam.

MElchiſedech prolato ſacramento menſæ Dominicæ, nouit æternū eis ſacerdotiū figurare.

Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum.

MElchiſedech Sacerdos Dei altiſſimi vinum & panem ſanctificatum dedit in typum Euchariſtiæ.

Epiphanius Hæreſi 55. Melchiſedechianorum.

Panis et vinum Melchiſedech erant myſteriorum

QVando Abraham fuit annorum octoginta octo, aut nonaginta plus minus, tūc Melchiſedech ipſi obuiam venit, & propoſuit ipſi panes & vinum myſteriorum ænigmata, præfigurans exemplaria:

exemplaria: quū Dominus noſter dicat. Ego ſū panis viuēs & exēplar ſanguinis ipſius, qui ex latere ipſius cōpuncto fluxit, ad purgationem inquinatorū, & reſperſionem ac ſalutem animarū noſtrarū. *exēplariá, id eſt, ſacrificij noſtri. Ioan. 6.*

Damaſcenus libr. 4. de Orthodox. fide cap. 14.

P*Ane & vino ſuſcepit Melchiſedech Abrahamex cæde alienigenarū reuertentē, qui erat Sacerdos Dei altiſſimi. Illa menſa hanc myſticā præfigurauit menſam: velut & ſacerdos ille, Chriſti veri ſacerdotis figuram præ ſe ferebat & imaginē. Tu es, inquit, ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Hunc panem panes figurabant propoſitionis. Hæc eſt pura ſcilicet hoſtia, & incruenta, quam ab ortu vſque ad occaſum ipſi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti.* *Geneſ. 14. pſal. 109. Menſa Melchiſedech figura menſæ Dominicæ oblatio mūda ſeu incruenta hoſtia, quæ vbique offertur, corpus & ſanguis Chriſti eſt.*

Ambroſ. li. 4. de Sacramentis cap. 3.

S*Acramentorum horum (puta altaris) figura præceſſit, quando Abrahæ victori occurrit Melchiſedech ſacerdos, & obtulit illi panem & vinum.* *Nota.*

Idem lib. 5. de Sacramentis capite primo.

Cognouimus Sacramentorū iſtorū figuram Abrahæ temporibus præceſſiſſe, quando obtulit ſacrificium ſanctus Melchiſedech, neque initium neque finem habens dierum. Audi homo, quid dicat Paulus Apoſtolus ad Hebræos: Vbi ſunt, qui filium Dei dicūt eſſe de tēpore? De Melchiſedech dictum eſt, *Audi Seruetiāe, Samoſataniane, Anabaptiſta, Trideiſta, omnis homo mendax.*

Hebr. 7. *quia neque initium, neque finem dierum habet. Si Melchiſedech nõ habet initium dierum, num Chriſtus habere potuit? Sed non eſt plus figura quàm veritas. Vides ergò quia ipſe primus & nouiſſimus,* Apocal. 1. *Primus quia author eſt omnium. Nouiſſimus, non quòd finem inueniat, ſed quòd vniuerſa concludat.*

Vino aqua miſcẽdã in ſacrificio altaris. *Et infra: In altari conſtituitur calix & panis. In calice mittitur vinum. Et quid aliud eſt, Aqua. Sed tu mihi dicis. Quomodo ergo Melchiſedech panem & vinum obtulit? Quid ſibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe. &c.*

Arnobius in Pſal. 109. claruit anno Domini 300.

Nota. Melchiſedech obtulit panẽ & vinum. *CHriſtus per myſterium panis ac vini Sacerdos factus eſt in æternum, ſecũdum ordinem Melchiſedech: qui panem & vinum ſolus obtulit in Sacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio.*

Beda in Marcum lib. 4. cap. 14.

Finitis Paſchæ veteris ſolẽnijs, quæ in cõmemorationem antiquæ de Aegypto liberationis populi Dei agebantur: tranſijt ad nouum, quod in ſuæ redemptionis memoriam Eccleſiam frequentare volebat, vt videlicet pro carne agni, ac ſanguine, ſui corporis ſanguiniſq́ue ſacramentũ ſubſtitueret, ipſumq́; ſe eſſe monſtraret, cui iurauit Dominus, & Pſal. 109. *nõ pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchiſedech.*

Idem in Pſalmo triceſimo tertio.

Chriſtus legalia ſacrificia ſecundum ordinem Aaron inſtituta, conuertit in ſacrificia panis & vini, ſecundum ordinem Melchiſedech.

Theophilactus in Epiſt. ad Hebræos cap. 5.

D*Icant igitur Iudæi nobis, quiſnam fuerit alius Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, præter Chriſtū?* Et pòſt pauca: *Solus enim ille (Chriſtus) pane & vino ſacrificium cōſecrauit, perinde ac Melchiſedech.* *Nota, quare Chriſtus ſit ſacerdos ſecundum ord. Melch.*

Quî verò dixit, In æternum? quia etiamnū vnà cum corpore, quòd pro nobis immolauit, àpud Deū & patrem intercedit, etc. Vel quia, quæ in ſingulos dies ſit & futura eſt in perpetuum oblatio per Dei miniſtros, ipſum habeat Pontificem & ſacerdotē Dominum, atq; adeo ipſam hoſtiā, qui ſeipſum pro nobis ſanctificat & frangitur, & diſtribuitur. Quoties enim hæc fiunt, mors Domini annunciatur. *Cur in æternum.*

Idem in cap. 7. ad Hebræos.

H*Anc ad rationem Paulus nos inſtituit, quomodo ſit diluendum, quod quiſpiam etiam dubitare poſſit: quomodo Chriſtus ſacerdos ſit in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, quandoquidē Melchiſedech mortuus eſt, nec factus eſt in ſempiternum? Diluemus igitur hinc, dicentes: Chriſtum cum æternus ſit & immortalis, reuera ſemper eſſe ſacerdotem. Nam et nunc quidem ſemper ſeipsū pro nobis offerre creditur per miniſtros ſuos, alioqui & tanquā interpellans patrē ꝑ nobis ac tū quidē ꝑfectiora offerret Patri et ſacratiora,* *NOTA. Et nunc Chriſtus ſeipſũ offert per miniſtros ſuos.*

ſeipſum nobis in cibũ & potũ proponens, nouo quodam modo, omnem ingenij captum exuperante.

Oecumenius in cap. 5. ad Hebræos declarãs illa verba. Tu es ſacerdos, &c.

Melchiſedech prim. hoſtiam incruentam obtulit.

HIC *fuit primus, qui hoſtiam ſine ſanguine, panẽ inquã & vinum obtulit.* PHOTII: *Vel certè, ꝙ et ipſe Chriſtus incruentã obtulerit hoſtiam, ad extremũ verò ſuum quoq; ipſius corpus. Idcirco igitur iuxta proportionẽ dictus eſt Chriſtus ſacerdos iuxta ordinẽ Melchiſedech.* ATHANASII: *Quia non oleo vnctus, quemadmodum Aaron, ad ſacerdotium fuerit Melchiſedech: & quia non per ſanguinem obtulerit hoſtias, & quia gentium fuerit Pontifex, & quia per panem & vinum benedixit Abrahæ.* OECVMENII: *Declarat enim ratio, quòd tametſi Chriſtus incruentã hoſtiam non obtulerit (ſuum namque ipſius obtulit corpus) attamen cæteri, qui ab ipſo ſacerdotes dependent, quorum ipſe & Deus & Pontifex eſſe dignatus eſt, offerent incruentam: Id enim quod dixit: In æternum, præ ſe fert. Non enim ad ipſam tantum, quæ à Deo ſemel facta eſt, hoſtiam & oblationem dixit in æternum, ſed ad noſtri temporis ſacerdotes inſpiciens, per quos Chriſtus & ſacrificat & ſacrificatur, quiq; eis in myſtico illo conuiuio, ac cœna ſacerdotij huius tradidit formulam.*

Chriſtus et incruentã hoſtiã prius & poſt etiã ſuũ corpus in cruce obtulit.

Mel. per panem & vinum benedixit Abrahæ.

Sacerdotes à Chriſto dependentes offerunt hoſtiam incruentam.

Nota benè.

Nota.

Hieron. in Epiſt. 17. ad Marcellam.

RE*curre ad Geneſim, & Melchiſedech Regẽ Salem huius principem inuenies ciuitatis:*

qui iam tunc in typo Chriſti panem et vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Saluatoris ſanguine & corpore dedicauit. Mel. in typo Chriſti panē & vinum obtulit.

Idem ad Euagrium Epiſt.126.

Sic & Melchiſedech, eò quòd Chananæus fuerit, & nō, de genere Iudæorum, in typum præceſſiſſe ſacerdotis filij Dei, de quo dicitur in 109. Pſalmo: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Ordinem autem eius multis modis interpretantur, quòd ſolus & Rex fuerit, & ſacerdos, & ante Circūciſionem functus ſacerdotio: vt Ordo Melc. *non gentes ex Iudæis: ſed Iudæi ex gentibus ſacerdotium acceperint: neque vnctus oleo ſacerdotali, vt Moyſi præcepta cōſtituunt, ſed oleo exultationis & fidei puritate: neque carnis & ſanguinis victimas immolauerit, & brutorum animalium ſanguinem dextra ſuſceperit: ſed pane & vino ſimplici puroque ſacrificio Chriſti dedicauerit ſacramentum:* Nota. *& multa alia, quæ epiſtolæ breuitas non recipit.*

Idem in cap.26. Matthæ.

Poſtquam typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat: aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur ſacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipſe NOTA. *quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret.*

Theodoritus in Epiſt. ad Hebræos ponit hanc Quæſtionem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quæſtio in cap. 8. Si & ſacerdotium quod eſt ex lege finem accepit, & ſacerdos qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedech obtulit ſacrificium, & effecit vt alia ſacrificia non eſſent neceſſaria: cur noui teſtamenti ſacerdotes myſticam lyturgiam ſeu ſacrificium peragunt? Sed clarum eſt, inquit, illis, qui ſunt in diuinis rebus eruditi: nos non aliud ſacrificium offerre, ſed illius vnius & ſalutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit ipſe Dominus: Hoc facite in meam commemorationem. Vt per figurarum contẽplationem earũ quæ pro nobis ſuſceptæ ſunt paſſionum recordamur: vt in benefactorem beneuolentiam cõſeruemus, & futurorum bonorum perceptionem expectemus.

Noui teſtamẽti ſacerdotes myſticam lyturgiam ſeu ſacrificium peragunt. Solutio. Nota.

Rupertus Tuicienſ. lib. 5. de Trinit. cap. 12.

At verò Chriſtus Rex Salem .i. pacis, Rex iniquã, idemq; Pontifex magnus illorum taliũ hominum dieb. natus, ſacerdotio ſuo functus eſt ſecũdum ordinẽ Melchiſedech. Protulit enim panẽ & vinũ, dicẽs. Hoc eſt corpus meũ, hic eſt sãguis meus, et ſic obtulit ſemeptispũ, pro fideli Abraham verũ ſacrificiũ.

Melchiſedechi oblatio.

Euſebius Emiſſenus. Hom. 5. de Paſchate.

Melchiſedech fuit ſacerdos Dei ſummi, dum à præputio .i. à gentili, circũciſio futura benedicitur, Eccleſiæ gloria ĩdicatur, et ſynagogæ infideli plebs ex gentib. acquiſita præponitur. Hic ergo Melchiſedech, cuius genealogia vel origo notitiam illius temporis latuit, oblatione panis & vini hoc Chriſti ſacrificium præſignauit. De quo propheta prænunciat. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.

Eucherius lib.2.in Geneſim.

CHriſtus non ex tribu Leui,ſed ex tribu Iuda ortus eſt: ex qua tribu nihil de ſacerdotali præcepto accepit: vtiq; propter myſteriū Sacramē-ti, quod Chriſtianis celebrare præceptū eſt: vt non ſecundum Aaron pecudum victimas, ſed oblatio-nem panis & vini, id eſt corporis & ſanguinis eius ſacramentum, in ſacrificiū offeramus. Ibi primùm quippe apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtia-nis offertur Deo, toto orbe terrarum.

Chriſtianis præcepta oblatio qualis.

Audiuimus Catholicum ſenſum & cō-ſenſum vetuſtiſsimorum patrum, & opti-morum ſcripturæ interpretum, de Mel-chiſedech ſacrificio: nempe quòd is panem & vinum obtulerit, & quòd ea oblatio fi-gura fuerit nouæ oblationis, quam Chri-ſtus Sacerdos in æternum, perpetuam in Eccleſia eſſe voluit, ſub ijſdem panis & vi-ni ſpeciebus: quorum vtrumque Stanca-rus impudēter negat. Quamobrem ipſius etiam rationes contrarias expendamus.

Rationes Stancari

Prima.

Primū, inquit, ex ſcripturis probari non poteſt, Melchiſedechū obtuliſſe panē & vi-num. Nā in Hebræo habetur H o z i, id eſt protulit, rectiùs eduxit, nō autem obtulit. Deinde, cū Melc. fuerit figura Chriſti, & Chriſtꝰ figuratū venerit, figurā ceſſare ne-ceſſe eſt. Nā ſi Melchefedech panē & vinū obtulit, & figura fuit, & Chriſtus figuratū panē & vinū nobis offerēdum mandauit:

Secunda.

nihil

nihil figura differt à figurato, nec figuratũ à figura, nec nos ab vtraque differimus, ꝙ non tam abſurdum, quàm fatuum & impium eſt. Hæc Stancarus.

Reſpon. ad primam. 1. Ad hoc vt breuiter reſpondeamus, An non Patres ex ſcripturis probant, Melchiſedechum obtuliſſe panem & vinum, atq; adeo ex hoc ipſo loco? Melchiſedech Rex ſalem protulit panem & vinum: Protulit inquam, non eduxit, vt tu contẽdis. Boues .n. Stancare educũtur; panes ꝓferũtur. Cõſtat enim quod verbũ הוציא hotſi in coniugatione Hiſhil à verbo יצא Iatſa, ſignificet, exire, facere, educere, proferre, depromere, eloqui: prout ſenſus loci cuiuſq; exigit, & vt adiuncta vertendum oſtendũt. *Verbũ Hotſi rectè à D. Hyeronimo eſſe cõuerſum.* Vnde ſicut Exod. 12. verſu 51. rectè & propriè vertit interpres, Eduxit (הוציא hotſi) Dominus filios Iſraël. Ita Numerorum 17. verſu 8. Vbi idem eſt verbũ ויצא vaijotſe, & protulit florẽ, rectiùs quã eduxit. Et Num. 14. verſu 36. & 37. להוציא lehotſi in proferẽdo infamiam. Et מוציאי motſie, proferentes infamiam Et Iob. 8. verſu 10. יוציאו iotſiu, proferent ſermones. Et Eſaiæ 42. verſu 1. יוציא iotſi, proferet iudicium rectiùs quàm educet. Vide Dictionarium Forſteri Hebraicum, qui & hunc ipſum locum cum D. Hieronymo & Sãcto Pagnino propriè interpretatur, Ex-

tulit

tulit panem & vinum. Protulit igitur panem & vinum Melchiſedech. Quorſum autem protulit? Nunquid ad inſpiciendem tantum? imò verò ad benedicendum, ad offerendum, & inde ad manducãdum. Proferens, inquit, panem & vinum, benedixit Abrahæ. Erat autem Sacerdos Dei altiſsimi. Atqui ſacerdotis offerre propriũ eſt. Vel vt clarius habetur in hebreo & Chaldæo: protulit panem & vinum, & ipſe ſacrificans Deo altiſsimo (nempe illũ panem & vinum) Et benedixit ei, Deo ſcilicet, (vt eſt annotatum in biblijs Vatabli) id eſt gratias illi egit de victoria data Abrahæ Sic enim & Rabbi Moſes Hadarſan in Bereſchit Rabba, id eſt in prolixis commentarijs in Geneſim, teſte Galatino, ex antiquorum Rabbinorum ſententia, locũ hunc interpretatur: Erat enim ipſe ſacrificans Deo ſancto & benedicto, panem & vinum, vt ſcriptura teſtis eſt. Erat enim ſacerdos Dei altiſsimi.

2. *Protulit ad offerendũ.*

Galat. lib. 10. cap. 4. & 5.

Vides quomodo ex ipſo ſcripturæ contextu & ex ipſis Rabbinis, Stancare, tuis manifeſtè oſtenditur, Melchiſedechum panes & vinum non protuliſſe tantùm, verùm etiam obtuliſſe, vel certè ad offerendum, & benedicendum protuliſſe? Quomodo autem conſtabit, quòd ſit Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem

Mel-

Melchiſedech: niſi quia vt Cyprianus inquit, ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuũ ſcilicet corpus & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini, quod plerique omnes veteres, vti oſtendimꝰ, vno oreteſtãtur. Aut quomodo Chriſtus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſi nunquam quicquám ſecundũ illum ordinem dicetur obtuliſſe? cum Sacerdotis officium ſine oblatione conſtare nullo modo poſsit, teſte Apoſtolo: Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quę ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Atqui ordo ille, in hoc potiſsimum conſiſtit, teſte Cypriano, vt ſupra audiuimus, quòd Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nunquam enim Melchiſedech carnis & ſanguinis victimas immolauit: id quod Aaroni ſolenne fuit: ſed pane & vino ſimplici, puroque ſacrificio Chriſti dedicauit Sacramentum. Quid igitur aliud reſtat, niſi quòd Chriſtus in vltima cœna ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech functus fuerit: vbi ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus, &

Sup. fol. 16. *Ad Heb. 5.* *Cyprian.* *Hieronym.* *Cyprianus*

pus & ſanguinẽ: & eiꝰ ſacrificij ſimilitudinẽ celebrandã in ſuæ paſsionis memoriam commẽdauit: vt illud q Melchiſedech obtulit Deo, iam per totum orbẽ terrarũ in Chriſti Eccleſia videamus offerri. *Auguſtin.*

Et adhuc clamat Stancarus. Non eſt ſcriptum, obtulit, ſed protulit? At vbi ſcriptũ eſt, Stancare, quòd non obtulerit? Quod ſi ex ſcripturis probari non poteſt, non obtuliſſe: & nihil recipiendum quod manifeſtè expreſſum non ſit, quæ igitur tua impudẽtia eſt aſſerere, Melchiſedechum panem & vinum non obtuliſſe, quòd ex ſcripturis probari non poteſt? quæ audacia ſcripturis etiam id affingere, quòd Melchiſedech ſecum panes & vinum ex Ieruſalem eduxerit. (quaſi panis & vinum pedes haberent, aut ambulare poſſẽt) vt milites in bello defatigatos refocillaret? Atqui id etiã ſcriptũ nõ eſt. Quòd ſi nobis, cũ omni antiquitate & vniuerſis patribus, dicere per te nõ licet, quòd Melchiſedech panem & vinum obtulerit, vel quòd protulerit ad offerendũ, & inde ad manducandum: quãdoquidem (vt Gregor. Nyſſenus, & poſt eum Theophilactus inquit) nemo comedit, niſi quòd priùs immolatum ſit & agnus Paſchalis, (qui & ipſe fuit noſtri ſacrificij huius figura, priùs immolabatur, deinde manducabatur) quomodo tibi dicere licebit, *Stancarus aſſerit quod ſcriptum non eſt.* *Greg. Nyſſ. orat. 1. de Reſurrect.*

quòd

quod protulerit ad manducandum tantū?
Itáne te Hæbreæ literæ ad eam inſaniam
compulerunt, vt cum Iudæis & Hæreticis
contra manifeſtam veritatem, contra omnium Patrum, hoc eſt totius Eccleſiæ Catholicæ ſenſum & conſenſum, propter vnam voculam, eamque praue intellectam,
pugnare audeas? Num in te ſolum peruenit regnum Dei? Num tu ſolus Magiſter
in Iſraël, vt omnes veteres, adeoque ipſe
Hieronymus, linguarum peritiſsimus (cuius non es dignus vt ſoluas corrigiam calciamenti) vni Stancaro de via decedere debeat? Quis enim ferat improbiſsimam noui iſtius Ariſtarchi cenſuram. Hieronymus, inquit, malè textum legit, qui non habet obtulit, ſed protulit: rectiùs ego, inquit Stancarus, eduxit & extulit. O hominem arrogantē? Itane tibi D. Hier. diſcipulus eſt quē corrigas, At ego tibi Hebręorū Coriphæos proferam (quemadmodū & tu nobis panes eduxiſti) qui non aliter interpretantur. Num tibi non magnus Rabbi Philo videtur, Hebræus ex hebræis? Atqui ille hiſtoriam hanc tractans ita loquitur. *Conſpicatus*, inquit, *magnus ille Pontifex Dei maximi redeuntem Abraham, reducentemq́; ſuos omnes ad vnum incolumes & victores, attonitus tanti facinoris magnitudine, & id quod verum erat cogitans, præſentem eius opem diuinam ad-*

Stancari ſuperbia.

Philo Iudæus fatetur, quod Melc. panem & vinū ſacrificauerit. Lib. de Abraham.

adfuiſſe, manus ad cælum tendens, fauſta illi præcatus eſt, & epulum victoriale ſacrificauit (τὰ ἐπὶ νικίᾳ ἔθυσε) ſociosqúe certaminis eius ſplendidiſſimo conuiuio excepit. Prius itaque ſacrificauit epulum, deinde ſocios certaminis refecit.

In eam ſententiam & Ioſephus ſcribit: *Suppeditauit*, inquit, *Melchiſedech exercitui Abraham Xenia, & magnam copiam commeatus præbuit, & inſtituto ſacro cõuiuio (εὐωχίᾳ) ipſum Abraham in hoc laudauit, et Deum qui inimicos eius ſubiecit, benedicere aggreſſus eſt.* Quod Ioſephus ſacrum conuiuium hoc Philo epulum victoriale ſacrificatum à Melchiſedecho appellat. Qui verò potuerũt melius explicare Moſis verborum ſententiã, quã hi duo, qui fuerunt eiuſdem hebrææ gentis viri doctiſsimi diſertiſsimiqúe, qui non tã tum ad mãducandum: ſed & ad offerendũ protuliſſe Melchiſedech panem & vinum diſertis verbis oſtendunt? Quare commentum hoc tibi Stancare non ſuccedit. Alterum autem illud multò minus, quando ſic colligis: Cum Melchiſedech fuerit figura Chriſti, & Chriſtus figuratum venerit, figuram ceſſare neceſſe eſt. Totum id tibi, Stancare concedimus. Id enim ex Cypriano ſupra oſtendimus, quòd ante præceſſerit imago ſacrificij Chriſti, in pane & vino ſcilicet conſtituta: quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem

Ioſephus itidem.

Benedixit ei, nempè Deo.

5. *Ad alterũ argument. reſponſio.*

mixtum vino obtulit,& qui eſt plenitudo veritatē præfiguratę imaginis adimpleuit. Hoc igitur tibi damus non inuiti. Verū φ ſubiūgis. Si Melchiſedech panē & vinū obtulit,& figura fuit; & Chriſtus figuratum panem & vinum nobis offerendum mandauit:nihil figura differt à figurato, nec figuratum à figura, nec nos ab vtroque differimus:Id iam tibi minimè concedimus. Imò verò differt figuratum à figura plurimùm,quantum ſcilicet ſol ab vmbra, aut ab imagine veritas. Melchiſedech enim, (vti ex patribus audiuimus)purum panem & merum vinum, Chriſtus autem ſub panis & vini ſpeciebus corpus & ſanguinem
Ioan.6. ſuum verum panem & verum vinum (agnoſcis,opinor, Hieronymi verba,quæ tu ſubdolè corrumpere voluiſti)& ipſe obtulit & nobis offerendum mandauit, Ceſſauit igitur figura puri panis & meri vini, & ſucceſsit veritas corporis & ſanguinis Domini ſub ſpeciebus panis & vini. Videſne quomodo figmenta illa tua, quib. tu veritatē impiè oppugnas in fumos euaneſcunt.

6. *Ad Rabbinos reſpon.* Profers deinde Rabbinorum de hoc loco ſententias,quæ apud Chriſtianos minimi ſunt ponderis:quorū tamen nemo Melchiſedechum negat obtuliſſe.

7. *Ad autoritates Patrū* Citas & Auguſtinū,ſed ita, vt vno loco eius arrepto, qui tamen nihil facit contra

nos, clariſsimas eiuſdẽ Doctoris ſentẽtias prætereas, quas tibi nos ſupra ob oculos poſuimus. Sed Hieronymus tibi viſus eſt maximè idoneus, quem naſo ſuſpenderes, & vt imperitum ac hebraicæ lectionis neſcium cõdemnares, & illuſtrem ipſius ſententiam malignè peruerteres. Verùm nos prius Hieronymum ipſum pro ſe loquentem audiamus.

Hieronymus in Pſalm. 109. ſuper illud: Tu es ſacerdos in æternum.

S*Vperfluum,* inquit, *eſt, nos de illo verſiculo velle interpretari, cùm ſanctus Apoſtolus ad Hebræos pleniſſimè diſputauerit. Ipſe enim ait: Iſte eſt Melchiſedech, ſine patre, ſine matre, ſine generatione: & interpretatur ibi diligentiſſimè, quare ſine patre, ſine matre, ſine generatione. Et ab omnibus Eccleſiaſticis dictum eſt, quoniam ſine patre dicit, ſecundum carnem, ſine matre dicitur ſecundum Deum. Hoc ſolùm ergò interpretemur: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Hoc ſolùm dicamus, quare dixerit, ſecundum ordinem. Secundum ordinem; nequaquam ſacerdos eris ſecundum victimas Iudaicas: ſed eris ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Quomodo enim Melchiſedech Rex Salem obtulit panem & vinum, ſic & tu offeres corpus tuum & ſanguinem, verum panem & verum vinum. Iſte Melchiſedech, iſta myſteria quæ habemus dedit nobis.*

Quæ Paulus Apoſt. pleniſſimè diſputauit, ea Hieron. omittit.

Quod ſcilicet. Apoſtolus omiſit intactum.

NOTA.

Melchiſedech obtulit panẽ & vinum.

Christus in cœna dedit corpus ſuũ & ſanguinẽ, qui verus cibus et pot. eſt: & hæ

myſteria Miſſæ quā habemus, dedit nobis ſecundum ordinē Melchiſedech.

Ipſe eſt qui dixit: qui manducauerit carnē meam,& biberit ſanguinem meum. Secundum ordinem Malchiſedech tradidit nobis ſacramentum ſuum. Hæc D. Hieronymus.

Hæc ſatis aperta D. Hieronymi verba Stancarus malicioſè deprauare & ad alienum ſenſū detorquere conatur. Nā quod Hieronymus cum orthodoxis omnibus palàm profitetur, Melchiſedechum obtuliſſe panem & vinum: id iſte pālàm negat: Et vt lectori ſimplici fucum faciat. Quamuis, inquit, Hieronymus malè textum legit, qui non habet obtulit ſed protulit, rectius eduxit & extulit: figuram tamen Melchiſedechi rectè interpretatus eſt de Chriſto.

Stancar. cēſoria virgula D. Hieronymum notat.

Libet hic cum Cypriano exclamare: O corruptores Euangelij & interpretes falſi: extrema ponunt & ſuperiora prætereunt, partim memores, partim ſubdolè corrumpentes: vt ipſi ab Eccleſia ſciſsi ſunt, ita capituli vnius ſententiam ſcindunt. Hæreticorum omnium iſtud eſt proprium, vt neque Chriſtum, neque Euangelium, nec patrum ſententias & interpretationes integras recipiant: ſed ſuum omnibus præponant iudicium: omnes virgula notent cenſoria: quædam damnent, quædam probēt. Idipſum pulchrè Stācarus exequitur: Malè, inquit,

Hæreticorū ingenium.

lè, inquit, Hieronymus textum legit, figuram tamẽ rectè interpretatur, Illud malè quod eſt contra me; iſtud rectè, quod mihi cum illo vtcunq; conuenit. Quaſi verò ſolus id Hieronymus, aut legat, aut intelligat, aut interpretetur, & non vniuerſa ſentiat Eccleſia? Sed ne Hieronymũ prorſus condemnare videatur, eò quòd Romanæ fuerit non Auguſtanæ confeſsionis: decerpit ex eo aliquid, vt tenebras offundat imperitis. Figuram tamen, inquit, Melchiſedeci rectè interpretatus eſt de Chriſto. Rectè ſanè, Stançare, ſed contra te. Quòd ſicut Melchiſedech obtulit panem & vinũ, ita Chriſtus obtulit corpus & ſanguinem ſuum, verum panem & verum vinum.

Hîc libet ex Stancaro quærere, de quánam oblatione Hieronymus intelligat, quando dicit, *Chriſtum ſecundum ordinẽ Melchiſedech, & non ſecundum victimas Iudaicas obtuliſſe corpus & ſanguinem ſuum verum panem et verum vinum?* Nam ſi de illa cruenta, quæ ſemel in cruce facta eſt intelligit, erit Hieronymus ſibimet ipſi cõtrarius. *Illa enim oblatio non eſt ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech, qui* (vt ipſemet Hieronymus inquit) *neque carnis & ſanguinis victimas immolauit, nec brutorum animalium ſanguinem dextra ſuſcepit, ſed pane & vino ſimplici puroq́ ſacrificio Chriſti dicauit ſacramentum: ſed magis eſſe videtur ſecundũ*

Explicatur D. Hieronymi ſententia.

 ordi-

ordinem Aaron, ſecundum victimas Iudaicas. Quòd ſi de oblatione incruenta, qua in vltima cœna corpus ſuum Chriſtus ſub panis & vini ſpeciebus Deo patri obtulit, & offerri in ſui commemorationem prçcepit, docuit, inſtituit, dictũ accipias: iam clara eſt Hieronymi ſententia. *Nequaquam*, inquit, *ſacerdos eris ſecundum victimas Iudaicas, ſed eris ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quomodo enim Melchiſedech obtulit panem et vinum: ſic tu offeres* (ſub panis & vini ſpeciebus) *corpus tuum & ſanguinem, verũ illum panem & verum vinum.* Quod autem de hac ipſa oblatione loquatur Hieronymus, clarius etiam indicat, quãdo ſtatim ſubdit. *Iſte Melchiſedech, iſta myſteria quæ habemus,* (hoc ſacrificium quod operamur) *dedit nobis. Ipſe eſt qui dixit: Qui manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum.*

Per myſteria, Miſſæ oblationẽ intelligit, vt infra.

Hoc profectò Stancarus, quantumuis impudentiſsimus eſſe velit, ad oblationem illam in cruce cruentam, detorquere nullo modo poteſt. Cùm Hieronymus adhuc apertius ſeipſum explicet, dum ita concludit. *Secundum ordinem Melchiſedech tradidit nobis ſacramentum ſuum.* Conſtat igitur HIERONYMVM non hic de oblatione illa cruenta, ſed de hac incruenta loqui, cuius vmbra & figura in oblatiõe Melchiſedech multò iã ante prçceſſerat. Conſtat &

ſtat & Hieronymi ſententiam pro nobis vel maximè contra Stancarum facere.

Verùm vociferatur adhuc Stancarus: quòd D. Hieronymus nõ dixerit de Chriſto: Tu offeres panem & vinum, vt fingũt Papiſtæ: ſed dixit, *tu offeres corpus & Sanguinem*, quæ panem verum, & verum vinum, hoc eſt carnẽ & ſanguinem Chriſti vocat. 9. *Alia Stãcari obiectio.*

Non dicunt, Stancare, Catholici, quòd Chriſtus ſimplicem panem & vinum obtulerit: non id dicunt. Nihil enim hoc pacto figuratum à figura, nihil à Melchiſedecho Chriſtus differret: nec in Chriſti ſacrificio figura Melchiſedech impleta fuiſſet. Verùm id palam profitẽtur, quòd hîc Hieronymus etiam non tacet: Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini, corpus & ſanguinẽ ſuum, quæ ſunt panis verus & verum vinum. (*Caro enim mea*, inquit, *verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*. Et. *Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit: non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, &cæt.*) obtuliſſe in nouiſsima cœna. *Iſta*, inquit Hieronymus, *myſteria quæ habemus.* (hoc ſacrificium corporis & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini. Sic enim Græci ferè Miſſam ſiue Myſticam lyturgiam appellant) *nouus hic Melchiſedech dedit nobis. Secundùm ordinem Melchiſedech tradidit nobis*, (non ad manducandum tantùm, ſed prius ad offerendum, inde ad mandu- *Reſponſio.* *Myſteria, lyturgia, ſacrificium, oblatio myſtica apud ſcriptores idem.*

candum, vt oſtenſum eſt) *Sacramentũ ſuum.*

In quæſtione in Geneſim. Quod clariùs etiam alibi idem Hieronymus explicat, cum ſic inquit: *Quòd autem ait, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, myſterium noſtrum in verbo ordinis ſignificatur: nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis: ſed oblato pane et vino, id eſt, corpore & ſanguine Domini Ieſu.* Audis

Nota Stancare, nota. iam, Stancare, quæ Hieronymus ipſe per iſta myſteria quæ habemus, perque Chriſti Sacramentum intelligat: nempe oblationem panis & vini, id eſt, corporis & ſanguinis Domini, ſub ſpeciebus panis & vini. Hoc myſterium, hoc ſacrificiũ, hanc oblationem Chriſtus nos docuit, hanc nobis tradidit. Hoc eſt offerre ſeu ſacrificare ſecundum ordinem Melchiſedech, non iam irrationales illas victimas Iudaicas, ſed corpus & ſanguinem Domini ſub ſpeciebus panis & vini. Sic enim ſeipſum interpretatur Hieronymus, & non ſicut tu eum conaris deprauare, vt id aſſerere videatur, quod illi ne in mentem quidem venit.

Agnoſcis igitur, quàm verum ſit illud quod ſcripſiſti: Ne vnum quidem minimum verbum de oblatione vel ſacrificio panis & vini dixiſſe Hieronymum.

10. *Vltimũ Stãcari argumentum.* Vltimum Sancari argumẽtum eſt: Paulus in Epiſtola ad Hebr. cap. 7. totum hoc negotium Melchiſedeci ſcilicet & Chriſti

pleniſ.

pleniſsimè extricat. Qui cum textum Geneſis alleget de Melchiſedech & Abrahã, ne vnum minimum verbum de pane & vino vel educto vel oblato facit: quia ſciebat hic magnus Rabbi, Pharisæus ex Phariſæis, Paulus electus à Chriſto Apoſtolus ſuus, nihil ad propoſitum ſacramenti corporis & ſanguinis Chriſti facere: cui magis quàm decem millibus Doctorum credere debemus: Hæc Stancarus.

Sed quale hoc eſt, obſecro argumentandi genus, Ab autoritate negatiuè? Nõ ſcripſit Paulus, ergo non eſt. Non ſcripſit Paulus, Stancare, tota in illa Epiſtola, Melchiſedechum panem & vinum vel protuliſſe vel eduxiſſe; Ergò falſum eſt, quod tu affirmas, eduxiſſe: falſum eſt, quod ſcripſit Moyſes, de prolatione panis & vini. Nam ſi tibi hic argumentari licet. Non ſcripſit Paulus quicquã de oblatiõe panis & vini; ergò nec Melchiſedech, nec Chriſtus obtulit. Cur non & mihi liceat eodem modo & ex eodem loco; Nõ ſcripſit Paulus quicquam, quod Melchiſedech panem & vinũ protulerit; ergò falſum eſt, quod in Geneſi ſcribitur, Melchiſedechum panem & vinum, ſiue obtuliſſe, ſiue protuliſſe, ſiue, vt tibi magis placet extuliſſe vel eduxiſſe Nõ ſcripſit in tota illa Epiſtola Chriſtum eſſe cõceptum de ſpiritu ſancto, eſſe natum ex Responſio

Maria virgine, ergo falſum eſt Euangeliũ, falſum eſt quod in ſymbolo profitemur. vides ad quę te incõmoda tuũ hoc argumẽ
11. tum adduxerit? Sed dedita, inquis, opera Paulus omiſit illa verba. Eduxit panẽ & vinũ: eò quod ſciret nihil illud ad Chriſtũ, nihil ad propoſitum Sacramenti corporis & ſanguinis Domini pertinere.

Alia obiectio.

Reſponſio.

Cur Apoſt. in epiſtola ad Hebræos nullã fecerit mẽtionem de oblato pane & vino

Imò verò, Stancare, ſciebat id, quod prę clarè à Greg. Nazian. ſcriptũ eſt. *Non omnia, nec omnib. nec ab omnib. nec omni loco & tẽpore dici oportere, nec infidelibus prodẽda myſteria, nec proijciendas margaritas ante porcos,* iuxta Domini præceptũ. Fecit igitur, quod faciendũ monuit Propheta: Diſpoſuit ſermones ſuos in iudicio. Fecit id quod antea Chriſtũ feciſſe cognouerat, cùm diceret: Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis ea portare modò. Vis autem audire ipſum Paulũ, modò non eadẽ verba proferẽtem. Is verò ſtatim vt Melchiſedech fecit mentionẽ; *De quo nobis,* inquit, *grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicẽdũ.* Quid hoc aliud eſt, quàm. Habeo vobis multa de eo dicere? Quod verò ſequtur: *Quoniã imbecilles facti eſtis ad audiẽdũ:* qđ aliud eſt, quàm: Sed nõ poteſtis ea portare modo. Magiſtrum itaq; ſecutus Paulus, illorum ad quos ſcribebat imbecillitatis rationẽ habebat: cũq; videręt, quòd opus illis adhuc lacte, nec ſolido

Matth. 7.
Pſalm. 111.
Ioan. 16.
Lege Palinodias Fabiani Quadratim.
Ad Heb. 7.

cibo

cibo vti poſſent: quę de Melchiſedech dicẽda, captum illorum excedebant, ea non putauit oratione ſua proſequẽda. Quod pluribus etiam verbis ad Euagrium ſcribens docet Hieron. (cuius tu libenter, quamuis contra te ſit, vteris teſtimonio) quando inter cætera ſic inquit: *Affirmat aũt Apoſtolus, ꝙ Aaron ſacerdotium .i. populi Iudæorum, & principium habuerit & finem. Melchiſedech aũt .i. Chriſti & Eccleſiæ, & in præteritum & in futurũ, æternum ſit, nullumq́; habuerit authorẽ: et ꝙ tranſlato ſacrificio legis quoq; mutatio fiat: vt nequaquã de Agar ancilla, & monte Sina, ſed de Sara libera & arce Sion egrediatur verbũ Domini & lex Dei de Hieruſalẽ.* & difficultatẽ rei procœmio exaggerat, dicens: *Super quo multus nobis ſermo eſt, et ininterpretabilis. Non quia Apoſt. id non potuerit interp̃tari, ſed quia illius tẽporis nõ fuerit. Hebræis enim, id eſt, Iudæis perſuadebat, non iam fidelibus quibus paßim proderet ſacramentum, &c.* Nota. Sacerdotiũ Chriſti et Eccleſiæ æternũ eſt.

Habes iam cauſam, Stancare, veriſsimã, cur Apoſtol. vllum verbũ de pane & vino vel prolato vel oblato, in illa Epiſtola ad faciendũ non putarit: quam non modo D. Hieron. ſed & Paulus ipſe attulit. cui vni potius quàm ſexcentis Lutheranorum & Zuinglianorum millibus credere debem9. Vides igitur iã ipſe ſi nõ te prorſus excæcauit malitia tua, ꝙ duo priora fundamẽta nõ modo à te nõ euerſa neq; ſubuerſa ſunt, Nota, cur Apoſtolus non prodiderit ſacramentum.

ſa ſunt, quod tu magnificè iactas apud imperitos, ante victoriam canens triumphũ: ſed cauillationes tuas firmiſsimis ſcripturæ teſtimonijs, & certiſsimis Patrum interpretationibus ita diſiectas & diſperſas eſſe, vt ſint tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Quare ad tertium etiam mox accedam, ſi prius Rabbinorũ aliquot ſententias contra te pro nobis attulero.

Rabbinorum teſtimonia, qui locum de Melchiſedecho non aliter interpretantur.

Rabbi Samuel in libro ad Iſaac.

Vixit anno Domini 1000. ferè: Eius liber iſte habetur in hiſtoria D. Antonini.

S*Ecũdum quod Dauid dicit de eo* (Chriſtum intelligit) *ipſe eſt ille, cuius ſacerdotium in æternum erit ſecundum ordinem Melchiſedech, qui fuit Rex & ſacerdos Dei altiſſimi ante Aaron. Et attende, Domine mi, quanta ſit differentia inter ſacerdotium Aaron, & Domini iuſti illius. Dixit Dominus Domino meo, tu es ſacerdos in æternum. Sacrificium Aaron fuerunt carnes: & ſacrificium iſtius iuſti Domini, fuit panis & vinum, quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech. In quibus verbis Deus per Prophetam manifeſtè oſtendit, quòd ſacrificium finiretur, quando inciperet iſtud ſacrificium in æternum: & ordinatio ſacrificandi ſecundum ordinem Aaron ex toto ceſſaret, quando inciperet ſacrificium in pane & vino æternaliter duraturum.*

Nota.

Petrus

Petrus Galeſinus in ſuis in hiſtoriã Seueri Sulpitij notationibus locum de Melchiſedech explicans, producit etiam alios Hebræorũ Rabbinos, qui Ionathan Chaldæum auctorem ſecuti, verba Geneſeos de Melchiſedech oblatione volunt intelligi de ſacrificio panis & vini, quod Meſsias erat inſtituturus: quod aliquanto antè, pluribus etiam teſtimonijs itidem probauit Petrus Galatinus.

Rabbi Moyſes Hadarſan (vt ait Galatinus) exponens verba illa Geneſis 14. de Melchiſedech ita ſcribit. *præfigurauit Melchiſedech myſterium ſacerdotij iſtius. Erat enim ipſe ſacrificans Deo ſancto & benedicto panem & vinũ, vt ſcriptura teſtis eſt: Erat enim ſacerdos Dei altiſsimi. Quis eſt iſte ſacerdos? Nimirũ de quo ſcriptum eſt. Tu es ſacerdos, & cæt. & quis tandem hic eſt? Videlicet iuſtus et ſaluator Rex Meſſias, Quid autem ſibi vult, panem & vinum obtulit? Hoc eſt ac ſi diceret. Erit placenta tritici in terra.* *Vide Galatinum lib. 10. cap. 4. & 5.* *Nota Stancare, nota.* *Pſalm. 72.*

Rabbi Pinhas filius Iair. *Tempore Meſſiæ omnia ſacrificia ceſſabunt, ſed ſacrificium panis & vini nunquam ceſſabit: ſicut dictum eſt: Quia Melchiſedech Rex Salem excepit panem & vinum, Melchiſedech, id eſt Rex Meſſias. Dicitur autem Melchi, id eſt Rex, quòd ſit Rex totius mundi. Sedec id eſt Iuſtitiæ. Si quidem iuſtitiam ille ſuam & gratiam mittet ſuper vniuerſum orbem. Inde eſt in Pſalmo: Veritas de terra orta eſt, & Iu-* *Sacrificiũ panis et vini æternũ* *Pſalm. 85.*

ſticia

ſtitia de cælo proſpexit. Rex Salem .i. ſuperna Hie-
Nota. *ruſalem, panẽ & vinum excepit, id eſt, ſeparabit à ceſſatione ſacrificiorũ, ſacrificiũ panis et vini iuxta Dauidis vaticinium. Tu es ſacerdos in æternũ. etc.*

Panis et vini ſacrificiũ perpetuũ. Rabbi Iohai qui longè Chriſti tempora præceſsit ex 9. cap. Iudicũ probat, panis & vini ſacrificium ſemper manſurum. Eo loci ſic ſcriptum eſt. *Nunquid poſſum deſerere panem meũ, quod lætificat Deum & homines? Vinũ quo pacto Deũ lætificat? Vtiq; non niſi in ſacrificio ipſo conficiendo: iuxta illud Dauidicum: Erit placenta frumenti in terra, in capite montium etc.* qui Hoſtiæ altaris quantitas & rotũditas à Rabbinis prædictis. *locus eſt in Pſalmo 72. quem Hebræorum Rabbini de Meſsia interpretantur: aiuntq; eius ſacrificium fore placentam frumenti, eamq; rotũdam inſtar volæ manus. Conſentit his Chaldaica tranſlatio. Et erit Corban frumenti in terra in capite montium Eccleſiæ. Quibus verbis, in hunc vſq; diem vſitatus in Miſſa Eccleſiæ ritus exprimitur, quo ſacerdotes hoſtiam ſupra caput eleuant. Montes enim Eccleſiæ, Sacerdotes ſignificant.*

Eleuatio hoſtiæ in Miſſa. Rabbi Kinhi: *Meſsias erit placenta frumẽti vel fruſtum panis in terra:* Hebræi legunt: יהי פיסח בר בארץ Erit piſſath bar, id eſt placenta frumenti, in terra.

Rabbi Berachias: *Quemadmodum fuit redemptor primus, id eſt Moſes, ita erit redemptor vltimus: nempè Meſsias. Vt enim primus redẽptor fecit mãna deſcẽdere: ita redẽptor vltimus erit placẽta frumẽti in terra. Teſte Pſal. 72. Erit placẽta etc.*

Rabbi

Rabbi Ionathas fili Vrielis: *Et erit ſacrificiũ panis in terra, in capite montiũ Eccleſiæ. Videat qui habet oculos. Ille eſt Meſſias, de quo loquitur totus Pſalmus 72. Cum ergo ait, Et erit placenta frumẽti in terra, in capite mõtiũ: vult dicere: quod placẽta panis, fiet Sacrificium in capitibus ſacerdotum in Eccleſia.* Rabbi Salomon acerrimus Chriſtianę religionis impugnator, Pſalmũ hũc 71. ad Salomonẽ Regem accõmodare ſummopere conatus eſt: qui tamen vbi ad verſum 17. peruenit, vbi nos quidẽ legimus: *Erit firmamentum in terra, &c.* Hebræi verò, *Erit placenta frumẽti in terra, in capite mõtium,* non potuit celare veritatem, ſed vel inuitus aſſeruit, Magiſtros ipſorum id de placẽta quadam expoſuiſſe, quę litanda ſit Meſſię temporibus: totumq́; adeò Pſalmum ad Meſsiam ſua interpretatione applicuiſſe.

Ecce quod Iudæi obſtinatiſsimi palàm cõfitentur, id noſtri, ſi Deo placet, pijſsimi Euãgelici cũ Stãcaro impudentur negant. Atq; hoc etiam grauius peccat Stãcarus, ꝙ iſtas Rabbinorũ interpretationes, q̃ à Galatino plurimæ adducuntur, ignorare non poterat: cùm ipſe in emendando Galatino Baſileæ operã ſuam quãdoque locauerit. Et tamẽ contra propriam conſcientiam illa omnia perfidè diſsimulat: vt tantò fortiùs veritatem oppugnet.

Videatur præfatio Baſilienſiũ, qui Galatinum Anno 61. ædidere

Adijciam autẽ & ipſius Martini Lutheri

Hæreſiarchæ ſententiam, vt ſalus ſit ex ini-
Lutherus. micis noſtris: & nequiſsimi ſerui ex ore proprio iudicentur, & condemnentur, Is ergo in pſalmum 10 . ita commẽtatus eſt: *Quid verò ſibi vult, quòd panem & vinum coram Abrahamo* (Melchiſedech *obtulit? Significat id Chriſti ſacerdotium in hac vita temporaria ad finem vſque mundi: quod is tectum altaris ſacramẽtum ſanctiſsimi corporis & precioſi ſanguinis ſui in Eccleſia offerat &c.*

Iam verò ad poſtremum Danielis locum veniamus.

Tertius Locus de iugi ſacrificio Daniel. 12.

HAEC eſt illa oblatio Mincha: quæ nunc quidem toto terrarũ orbe offertur mixta Malachiæ vaticinium tũ autem ab Antichriſto prorſus auferetur. Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui expectat, & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque. Tu autem vade ad præfinitum, & requieſcès, & ſtabis in ſorte tua in finẽ dierum.

Hæc eſt illa oblatio Mincha; quæ nunc quidẽ toto terrarum orbe offertur iuxta Malachiæ vaticiniũ, tunc autem ab Antichriſto prorſus auferetur.

Pagninus ſic vertit ex Hebræo: *Et à tẽpore quo remotum fuerit iuge ſacrificium* (התמיד hatthamit. ꝙ hoc loco, vt ſæpè aliàs abſolutè pro iugi ſacrificio ponitur; ſubauditur enim זבח Zeuach, vel מנחה Mincha,

id eſt

id eſt,ſacrificium) *& poſita fuerit abominatio admirari faciens, erunt dies mille ducenti & nonaginta. Beatus qui expectat : & attinget ad dies mille trecentos triginta & quinq;. Et tu vade ad finem,& requieſces,& ſtabis in ſorte tua in finem dierum.*

Septuaginta ſic habent: *Et à tempore mutationis cõtinuitatis* (καὶ ἀπὸ καιροῦ παραλλάξεως τοῦ ἐνδελεχισμοῦ) *& vt data fuerit abomina tio deſolationis, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui expectat, & peruenit in dies mille trecentos triginta quinq;. Et tu Daniel veni in complementum cõſummationis, & requieſces, & ſurges in ſorte tua in cõſumatione dierũ.* Idem Daniel cap. 9. *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus ; & non erit eius populus qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo : & finis eius vaſtitas, & poſt finẽ belli ſtatuta deſolatio : Cõfirmabit autem pactum hebdomada vna: & in medio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificiũ* (Hebraice. שבית זבה ומנחה Iaſchebbith Zeuah V mincha: id eſt faciet ceſſare ſacrificiũ. & oblationem Mincha Septuaginta habent : ἀρθήσεται θυσία καὶ σπονδή. id eſt tolletur ſacrificium & libamen) *Et erit in templo abominatio deſolationis : & vſq; ad conſumationem & finem perſeuerabit deſolatio.*

Quod hic quoque Danielis locus de Miſſæ Sacrificio ab Antichriſto

abolendo rectè intelligatur.

D. Iren. li. 5. aduerſus hæreſes ſub finē.

Antichriſtus tollet iuge & purum ſacrificium

*Deinde & tempus tyrannidis eius (Antichriſti) ſignificat, in quo tempore fugabuntur ſancti, qui purum ſacrificium offerunt Deo. Et in dimidio hebdomadis, ait (*Daniel*) tolletur ſacrificium & leuatio, & in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem temporis conſummatio dabitur ſuper deſolationem. Dimidium autem hebdomadis tres ſunt anni & menſes ſex.*

Idem in fine eiuſdem libri.

Abominatio deſolutionis.

Cùm autē vaſtauerit Antichriſtus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus & menſibus ſex, & ſederit in templo Hieroſolymis, tunc veniet Dominus de cœlis in nubibus in gloria patris: illum quidem & obedientes ei in ſtagnum ignis mittens: adducens autem iuſtis regni tempora, &c.

Hieronymus in Danielem.

Danielem loqui de Antichriſti tēporibus.

In illud cap. 12. *Et à tempore quo ablatum fuerit iuge ſacrificium, &c. Ex quo perſpicuū eſt,* inquit, *tres iſtos & ſemiſānos, de Antichriſti dici tēporibus, qui tribus & ſemis annis, hoc eſt, mille ducētis nonaginta diebus ſanctos perſecuturus eſt, & poſtea corruiturus in monte excelſo & ſancto. A tempore igitur* ἐνδελεχισμοῦ, *quod nos interpretati ſumus iuge ſacrificium, quando Antichriſtus orbem obtinens Dei cultum interdixerit, vſq; ad internecionem eius, tres & ſemis anni, id eſt, mille ducenti nonaginta dies complebuntur. Beatus autem,* inquit, *qui interfecto Antichriſto dies ſuprà*

Antichriſtus Dei cultum interdicet, id eſt iuge ſacrificiū auferet.

numerum præfinitum quadraginta quinq; præſtolatur: quibus eſt Dominus atque ſaluator in ſua maieſtate venturus. Sequitur, *Tu aũt Daniel vade ad præfinitũ &c.* Pro quo Theodotio ita interpretatus eſt. *Tu autem vade & requieſce, & reſurges in ordine tuo, in conſumatione dierum. Quo verbo oſtenditur, omnem Prophetiam* (iſtam) *vicinam eſſe reſurrectioni omnium mortuorum, quando & Propheta ſurrecturus eſt.*

Danielem loqui de tẽpore ante Iudicium.

Theodoretus in eundẽ locũ Dan. 12.

Beatum Danielem ſanctum & benè ſentientem de ſuo Domino famulum ſanctus Angelus docet Antichriſti tyrannidis tempus. A tempore, inquit, cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, &c. Cùm enim dixiſſet: in tempus & tempora, & dimidium temporis, nouiſſetq; beatum Danielem haud intellexiſſe: explicato diei tempore, quod ignorabat, ei perſpicuum fecit. Abominationem verò deſolationis ipſum vocat Antichriſtum. Mutationem autem τοῦ ἐνδελεχισμοῦ (hoc eſt, ablationem Iugis ſacrificij) *Eccleſiaſtici cultus ordinem ab illius inſania diſſipatum & abolitum. Ad hæc adijcit ſanctus Angelus: Beatus qui expectat & peruenit vſque ad dies 1335. Innuit & declarat fore, vt illo Antichriſto, diuina plaga percuſſo, permaneat magnus Helias, reliquos quinq; & quadraginta prædicãs dies: tũ appareat Dominus veniẽs in nubibus cœli, qui coronabit eos, qui incorruptã perſeuerantiæ poſſeſſionẽ ſeruarint. Quod item Dominus in ſacris Euangelijs aſſerit:*

Danielem de tempore Antichriſti intelligendum.

Abominatio deſolationis Antichriſtus intelligitur. Iuge ſacrificium Eccleſiaſticus cultus. i. Miſſa, ſacroſancta ab Antichriſto tollenda.

Matth. 10. *Qui autem perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Hinc autem plane diſcere licet, nihil horum in Antiochum conuenire. Illo autem regnante duo mille ducentos dies dixit : Antichriſto verò 1290. graſſaturam calamitatem. Ita vt etiam temporis differentia, perſonarum ac rerum differentia teſtimonium perhibeat.*

Auguſtinus lib. 20. de ciuitat. Dei cap. 23.

Quid prophetauerit Daniel de perſecutione Antichriſti, & de iudicio Dei, regnoq; ſanctorum.

Daniel de hoc vltimo iudicio ſic prophetat, vt Antichriſtum prius quoque venturum eſſe prænũciet: atque ad æternum regnum ſanctorum, perducat narrationem ſuam. Et infra: *Antichriſti tamen aduerſus Eccleſiam ſæuiſsimum regnum, licet exiguo ſpatio temporis ſuſtinendum, donec Dei vltimo iudicio regnum ſancti accipiant ſempiternum,*

Nota. *qui vel dormitans hæc legit, dubitare non ſinitur. Tempus quippe & tempora, & dimidiũ temporis, annum vnum eſſe, & duos, & dimidium, ac per hoc tres annos & ſemiſſem, etiam numero dierum poſterius poſito diluceſcit: aliquando in ſcripturis, ac menſium numero declaratur.*

Dan. 12. Et infra: *Alio loco idem Daniel: Et erit, inquit, tempus tribulationis, qualis non fuit, ex quo nata eſt gens ſuper terram, vſque ad tempus illud. Et in tempore illo, ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. & multi dormientium in terræ aggere exurgent, hi in vitam*

Danielem loqui de tẽpore nouiſſimo.

æternam,

æternam, & hi in opprobrium, & in confuſionem æternam. Et intelligentes fulgebunt ſicut claritas firmamẽti, & ex iuſtis multis ſicut ſtellæ in ſæcula. Et adhuc ſententiæ illi Euangelicæ eſt locus iſte ſimillimus de reſurrectione duntaxat mortuorum corporum. Nam qui illic dicti ſunt eſſe in monumentis, ipſi hic dormiẽtes in terræ aggere, vel ſicut alij interpretati ſunt, in terræ puluere. Et ſicut ibi, procedent, dictum eſt, ita hic exurgent. Sicut ibi. Qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui autem mala egerunt, in reſurrectionem iudicij, ita & iſto loco, hi in vitam æternam, & hi in opprobrium & confuſionem æternam. Ioan. 5.

Idem lib. 20. de ciuit. Dei cap. 13.

Hæc perſecutio nouiſſima, quæ futura eſt ab Antichriſto, ſicut iam diximus: quia & in hoc libro ſuperius, & apud Danielem Prophetam poſitum eſt, tribus annis & ſex menſibus erit.

Chryſoſtomus homil. 49. operis Imperfecti in Matthæum, in ea verba: Cum ergo videritis abominationem deſolationis. &c.

Si quis abominationẽ deſolationis intelligat eſſe ipſum Antichriſtum, qui poſtmodum venire ſperatur, & obtinere loca Eccleſiarum ſancta ſub ſpecie Chriſti, & multos fidelium deſolare, nõ irrationabiliter dicit. Et poſt pauca. Daniel 9. Matth. 24. Abominatio deſol. Antichriſtus.

Et ſic Prophetæ verba ſignificant magis de Cõſummatione mundi, prophetia tamẽ, ſicut docet Chri-

ſtus, ad vtrunq; eſt dicta. Sunt autem verba illa ſic: In dimidio ſeptimi anni auferetur iuge ſacrificiũ. & abominatio deſolationis ſtabit in loco ſancto, vſq; ad conſumationẽ temporis, & conſumatio dabitur ſuper ſolitudinẽ. Illic exercitus Romanus dictus eſt abominatio deſolationis, quia ad deſolationem redacturus fuerat Iudaicũ cultũ: hic autem Antichriſtus dicitur abominatio deſolationis, quia multorum Chriſtianorum animas facturus eſt deſolatas à Deo. Nam antequàm caperent Romani Hieruſalem, in dimidio hebdomadis Chriſtus per ſuam doctrinam tulit de medio iuge ſacrificium Iudæorum, nam dicitur tribus annis & ſex menſibus docuiſſe: qui numerus facit dimidium ſeptem annorũ: vt illud ſacrificiũ, quod iugiter fuerat in vſu, tolleretur de medio, & offerretur ſacrificiũ laudis in voce, & ſacrificium iuſtitiæ in operibus, & ſacrificiũ pacis per Euchariſtiã. Vſq; ad finẽ aũt ſæculi tumultus eſt, quia Iudaica cõſuetudo de ſacrificijs offerẽdis, nunquã eſt reparãda. Itẽ in dimidio hebdomadis, hoc eſt tribus annis ſex mẽſibus, hoc ſacrificiũ Chriſtianorũ tollendũ eſt ab Antichriſto, cõfugientibus Chriſtianis ante eũ per loca deſerta, non erit qui aut Eccleſiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quoniam autem tribus annis & ſex menſibus protendendum eſt Antichriſti regnum, multæ ſcripturæ ſignificant; maximè tamen in Reuelatione ſua Ioannes. Et ſolitudinem illam conſumatio occupabit. Nam vſq; in finem tenebit Antichriſtus, quem Dominus Ieſus interſiciet ſpiritu

Daniel 9.

Antichriſtus abominatio deſolationis.

Sacrificiũ Chriſtianorũ triplex.

Iuge ſacrificiũ Chriſtianorum tollendum ab Antichriſto.

Dan. 12. Apoc. 11. & 12.

tu oris ſui,&c.

Hyppolytus Epiſcopus, & Martyr in oratione de Conſumatione mundi & Antichriſto.

L*Vgebunt etiam Eccleſiæ luctum magnũ: quia nec oblatio nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus: ſed Eccleſiarum ædes ſacræ, tugurij inſtar erunt: precioſumq́; corpus & ſanguis Chriſti non extabit, in diebus illis: Liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit, ſcripturarum recitatio non audietur. Sed erunt apud homines tenebræ: lamẽtatio ſuper lamentationem: væ ſuper væ.* *Tempore Antichriſti liturgia id eſt Miſſæ ſacrificium extinguetur.*

Idem inferius; *Cùm venerit filius hominis in gloria ſua, &c. Tunc dicet his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Venite Prophetæ, propter nomen meum expulſi. Venite Patriarchæ, qui ante aduentum meum obtemperaſtis mihi, regnumq́; meum deſyderaſtis. Venite Apoſtoli, mearũ afflictionum participes, dum inter homines agerem, propter Euangelium. Venite Martyres, qui confeſſi me coram tyrannis, tormẽta multa atque ſupplicia pertuliſtis. Venite Pontifices, qui purè mihi ſacrificium die noctuq́; obtuliſtis, ac precioſum corpus & ſanguinem meum immolaſtis quotidie.* *Nota Sacerdotes precioſum corpus & ſanguinem Chriſti immolarunt quotide, hoc ſcilicet eſt iuge ſacrificium.*

S. Ephrem ſermone de Antichriſto.

Lugebũt, inquit, *Eccleſiæ Dei vniuerſæ luctu ineffabili, quia non offertur oblatio diuina & ſanctificatio.*

Dionyſius Carthuſianus in Daniel, cap. 12.

Totum hoc caput 12. ex Doctorũ Eccleſiæ ſententia de Antichriſto interpretatur, hoc modo: *A tempore,* inquit, *quo ablatum fuerit iuge ſacrificium, id eſt, ab eo tempore, quo Antichriſtus poteſtate iam adepta, & orbe ſibi ſubiecto, interdixerit cultũ Dei & Chriſti filij eius, ſacrificiumq; altaris ceſſauerit publicè celebrari, atque continua laus Dei in Eccleſia. De quo ſacrificio ait Apoſtolus ad Hebræos: Per ipſum, ſcilicet Chriſtum, offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo. Et poſita fuerit abominatio, ideſt, Antichriſti imago, ſeu abominabile idolum eius ante oculos omnium, vt Antichriſtum in ſua imagine adorent. Vel poſita fuerit abominatio, id eſt Antichriſtus exhibuerit ſe adorandũ, In deſolationem, nempe fidelium, qui inde permaximè affligentur ex zelo diuini honoris, ac feruore ſancti amoris. Dies mille ducenti nonaginta, qui faciunt annos tres cũ dimidio. Et ſubdit de tempore Pœnitentiæ dando deceptis ſub Antichriſto: Beatus qui expectat Dei clementiam, in vitaq; manet. Et peruenit vſq; ad dies 1335. qui vltra tres annos ac mediũ continent dies quadraginta quinq;, qui lapſis dabuntur ad pœnitendum, Antichriſto occiſo, & tunc Chriſti religio maximè vigebit vbiq;. Beatusq; erit, qui cũ Antichriſto non periſt, & cui Deus gratiam pœnitendi præſtabit. Qui autem deceptus nõ fuit in illis diebus, gratiã merebitur ampliorem.* Hæc Dionyſius

Nota. ad Hebr. 13.

ſius. Vnum addam, Sebaſtianum Munſterium: qui licet fuerit hæreticus, tamen fatetur non inuitus in Biblijs ſuis, locũ hunc nõ de primo, vt vult Stancarus, ſed de nouiſsimo Chriſti aduentu intelligendũ eſſe. Nam in illa verba: *A tempore, quo ablatũ fuerit iuge ſacrificium, &c.* ſcholium hoc aſſcripſit. *Senſus horũ verborũ videtur eſſe talis: Etiamſi tempus ſub Antichriſti perſecutione prolongatum fuerit, beatus ille erit, qui perſeuerauerit vſq; in finem. Spectat præceptũ iſtud, ad omnes pios, vt perſeuerent ad finem, ita enim ſalutem conſequentur æternam.* Munſterus

Hactenus planas & certas Orthodoxorum Patrum explicationes in propoſitum Danielis locum audiuimus: Nũc viciſsim qualem Stancarus interpretationem dicã an deprauationẽ afferat, audiamus. Quòd autem Papiſtæ inquit, locum Danielis 12. ad ſuum propoſitum allegãt, nihil ad rem. Repetit enim Daniel vaticinium de primo aduentu Chriſti, in quo iugis ſacrificij nomine omnia omnium Prophetarũ vaticinia impleta fuerunt: vt hoc vaticinium Iſraëlitæ ante oculos ſuos habeant. Et per dies 1290. hoc eſt tres annos cum medio, intelligit illam hebdomadam mediam, de qua ſupra 9. cap. dixerat, qua Chriſtus venit ad Baptiſmum, & toti populo per Iordanem oſtenſus fuit, diſcipulos ad ſe voca- *Stancari eluſio.*

Chriſtus iuge ſacrificium corporis & ſanguinis ſui inſtituit. Nam illud in cruce ſemel oblatum: iuge uò fuit, vt ſupra viſum eſt.

Stancari commentū refellitur.

uit, & prædicauit, & ſuo nouo corporis & ſanguinis ſacrificio iugi (obſerua quid hîc dicat Stancarus) iuge illud vetus ſacrificiū & legalia omnia abrogauit. Hæc ille.

Hoc loco Stancarus nullas Rabbinorū, nullas Orthodoxorum Patrum explicationes attulit: nimirum quia omnes videt ſuæ ſententiæ contrarias. Quare ad ſui capitis cōmentū, imò ad Diabolicas technas confugit homo infœlix, vt iuge Chriſti & Eccleſiæ Sacrificiū, verus Antichriſti prodromus euertat. Quid igitur affertur? aut quomodo nos conatur eludere? Repetit, (inquit) Daniel vaticiniū de primo Chriſti aduentu. Hoc tibi, Stancare, probandū fuit. Nā quod ſimpliciter affirmas, id nos quoq; ſimplici negatione poſſemus refellere. Verùm oſtendimus iá clariſsimis patrum teſtimonijs, Danielem hoc loco non de primo Chriſti aduētu, ſed de nouiſsimo, hoc eſt, de tēporibus Antichriſti vaticinari: Vbi vno ore Doctores interpretantur.

Locus Daniel. 9.

Nam licet prior ille Danielis locus capite 9 de ſeptuaginta hebdomadibus, de primo Chriſti aduentu intelligitur: in quo apertè & Chriſti Ducis aduentum, & mortē, & Hieroſolymæ nunquā amplius reparandæ vaſtitatē ac deſolationē prēnunciat: tamē & illius loci vltima hæc verba. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificiū, & in tēplo abominatio deſolationis, &c.* nō mo-

dò de excidio vrbis Hieroſolymæ, verùm etiã de Antichriſti tyrannide rectè accipi poſſe, ex Chryſoſtomo ſuprà audiuimus. *Et ſic Propheta verba, inquit, ſignificãt magis de conſumatione mundi* (quàm de Hieroſolymę euerſiõe) *prophetia tamẽ, ſicut docet Chriſtus, ad vtrũq; eſt dicta: hoc eſt tã de Hieroſolymæ interitu, quàm de totius mũdi vaſtitate & conſumatione. Sicut enim Chriſtus Iuge ſacrificium tulit de medio, & nouum iuge Hebræorum ſacrificium inſtituit: ita & hoc tandem ab Antichriſto tollendũ eſt.* Quamobrẽ, vt demus Stancaro, locũ illũ Dan. 9. de primo Chriſti aduẽtu, deq; abrogatione iugis Iudaici ſacrificij tãtum intelligi: illud tamẽ nunqnam euincet Stancarus, locũ Danielis 12. de primo Chriſti aduentu accipiendũ eſſe. Cũ ex aduerſo dicat Hieronymus, locũ hũc de Antichriſti dici tẽporibus, & totã hanc prophetiã vicinã eſſe reſurrectioni mortuorũ: cum Irenęus, Theodoretus, Auguſtinus, Hyppolitus, Dionyſius, & oẽs adeò Orthodoxi, & pleriq; etiã hæretici idẽ cõfirment: & Abominatiõis nomine Antichriſtũ: Iugis verò ſacrificij appellatione Dei cultũ, Eccleſiaſtici cultus ordinẽ, ſacrificiũ Chriſtianorũ, precioſum corpus & ſanguinẽ Chriſti, liturgiã, ſacrificiũ altaris, hoc eſt, ipſiſſimum Miſſæ ſacrificium palam intelligant: quod ab Antichriſto (cuius vos, ô Stãcare, vos inquã Lutherani, Zuingliani & Caluiniſtæ

Mat. 24.

Locus Danielis 12.

Quaſi contritus coluber eleuat caput,& moriturus in eos qui morituri ſunt,venena diffundit. Hæc il le contra Porphyrium: quæ nos in Stancarum totidem verbis dicere verè poſſumus. Et infrà: *Tempore autem Antichriſti,talem tribulationem fore,qualis nũquam fuit ex eo quod gentes eſſe cœperunt, verius intelligitur.* Et paucis interiectis: *Obſeſſo igitur Antichriſto & ſpiritu ſaluatoris extincto, ſaluabitur populus qui ſcriptus fuerit in libro Dei, & pro diuerſitate meritorum, alij reſurgent in vitam æternam, & alij in opprobrium ſempiternum. &c.* *Nota. Hæreticorum ingenium.*

Mitto quod & præcedens caput Danielis 11. ab eo loco vbi ait: *Et ſtabit in loca eius viliſſimus,etc.* eodem Hieron. teſte, noſtri de Antichriſto intelligunt, & Antiochum typum fuiſſe Antichriſti confirmant: & quæ illo ex parte præceſſerint, in antichriſto ex toto eſſe complenda.

Quamobrem fuſtra equidem Stancarus ad primum Chriſti aduentum confugit: ſed non ſanè fruſtrà terribilem hunc atque nouiſsimum illius aduentum refugit ac reformidat, in quo nimirum Dominus Ieſus & ipſum Antichriſtũ, & omnes miniſtros ac præcurſores eius interficiet ſpiritu oris ſui. *1. ad Theſſal. 2.*

Nec verò hoc Stancari commentũ vllo modo poteſt conſiſtere. Nam licèt ita legamus, vt iſte, bellus interpres ſcilicet, legendum *Stancari commentũ non procedere.*

dum cenſet: *A tempore quo ablatum fuerit iuge ſacrificium*, ad ponendum abominationem ſtupendam, *erunt dies mille ducenti & nonaginta:* tamen hoc nunquam ille efficiet, vt credamus, tempus illud quo ablatum fuit iuge ſacrificium, de illo tempore accipiendum eſſe, quo Chriſtus ad Baptiſmum venit, & toti populo p Iordanem oſtēſus eſt, & diſcipulos ad ſe vocauit; Neq; enim illo tempore Chriſtus iuge ſacrificium Iudaicum ſuſtulit: ſed tunc primum quando in vltima cœna, impleto Paſcha veteri, & abrogatis priſcis ſacrificijs, nouum Paſcha, & nouam noui teſtamenti oblationem inſtituit. Tunc primùm vmbra ceſsit corpori; figura veritati: quando poſtridie in cruce dictum eſt, Conſummatum eſt: & velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſq; deorſum: in ſignum, quòd templum illud vetus (vt ait Theophilactus) cum ſuis ſacrificijs ſoluatur iam & prophanetur: & quę prius obſcura fuerunt & plena ænigmatibus, manifeſtentur nunc in Chriſto cópleta. Atqui à Chriſti Baptiſmo vſque ad id Chriſti paſſionis tempus, mille ducentorum nonaginta dierũ numer⁹ propè iã totus effluxerat.

Quãdo Chriſtus ſuſtulit iuge ſacrificium Iudæorum.

Pręterea, non dixiſſet Propheta: *A tempore quo ablatu fuerit iuge ſacrificiu, dies* 1290. Sed ita: *A tempore quo Chriſtus prædicare incipiet, vſque ad tempus quo ablatum fuerit iuge ſacrificiũ, dies*

dies 1290.Non igitur per tempus ablati ſacrificij intelligi poteſt media hebdomada illa,in qua Chriſtus prædicauit,in cuius tãdem fine abrogauit vetus Iudaicum iuge ſacrificium.Quòd ſi ab hoc tempore,id eſt à cœna & paſsione Chriſti dies 1290.numeraueris, & inſuper dies 45.addideris, equidem non video,ſi quid ſingulare reperies, de quo Prophetã vaticinari poſsis dicere. Nam à Paſsione ad pentecoſten,in qua Spiritusſanctus in diſcipulos deſcẽdit,nõ *1290.* ſed dies tantùm circiter 50.interceſſerunt. Quòd ſi per Abominationẽ deſolationis Hieroſolymæ vaſtationem intelligas:neq; id poteſt conſiſtere Nã ad eam à tempore ablati iugis ſacrificij, hoc eſt, à Chriſti paſſione,non dies tãtùm *1290.*ſed amplius *40.* anni effluxerũt. Deinde nõ eſt ſcriptũ, *A tẽpore ablati iugis ſacrificij, vſq; ad abominationem deſolatiõis,* vt tu vederis legere: ſed, *A tẽpore quo ablatũ fuerit iuge ſacrificiũ & poſita abominatio deſolationis*(ſimul vtrũq; cõiungit) *dies 1290.*Intellige vſq; ad Antichriſti necẽ. Tot enim dies durabit tyrãnis ipſius & piorũ pſecutio,hoc eſt, annos tres cũ dimidio. Sicut & ſupra idẽ Propheta oſtẽdit ca.7. vbi de Antichriſto proculdubio vaticinatur: *Sermones,*inquit,*cõtra excelsũ loquetur,& ſanctos Altiſsimi cõteret, & tradẽtur in manus eius vſq; ad tẽpus & tẽpora, & dimidiũ temporis: hoc eſt, per 3.annos cũ dimidio; vti oẽs interpretantur,*

Ita & Munſterus vertit ex hebraeo.

&ipſe Munſterus,qui inquit. Durabit Antichriſti perſecutio & membrorum eius per tempus, id eſt annum, & tempora, id eſt duos annos, & dimidium temporis, id eſt dimidium anni, hoc eſt, nō durabit per ſeptenarium & integrum tempus, ſed per dimidium hebdomadis. Abbreuiabuntur enim dies illę propter electos, ne perpetuò impiorum ſubiaceant tyrannidi. Atq; hic dierum numerus repetitur etiam Apocalipſis 12 & Apoc. 11. refertur, quod ciuitatem ſanctam, id eſt, Eccleſiam calcabunt (impij) menſibus 42. id eſt 1290. diebus, ſiue tribus annis cum dimidio. Quæ omnia ad Antichriſti tempus referūt interpretes.

Satis iam oſtendiſſe videmur, Danielis prophetiam cap. 12. non de primo Chriſti aduentu, vti Stancarus interpretatur (ſi modo interpretatio dicenda eſt manifeſta ſcripturæ deprauatio atque peruerſio) ſed de Antichriſti temporibus intelligendam eſſe: & per ablationem iugis ſacrificij, ac poſitionem abominandæ deſolationis Antichriſti tyrannidem, quam in ſacerdotiū & ſacrificium Miſſæ exercebit, accipiendam. Reliquum eſt vt et reliqua Stancari argumenta diſſoluamus.

Stancari aries.

At ille quidē cū nīl ſolidi haberet, quod hic contra nos poſſet afferre: in locū communem excurrit, vt illud vulgare, ſed fal.

ſum tamen, Theologiæ Lutheranæ Axioma tractet: Nihil recipiendũ, quod in ſcripturis expreſſum non ſit.

Vide Lindani Panopliæ librum primum.

Quamuis, inquit, nobis ſufficeret Papiſtarum figmẽtum de iugi ſacrificio ſimplici negatione refellere (ſic iſte ter infœlix Catholicam Eccleſiæ interpretationẽ appellat, qui tamen ſua figmenta & ſui capitis ſomnia pro verbo Dei adorari vult) tamen quo magis, inquit, ac magis hęc impoſtura detegatur, & autoritate ſcripturæ, & authoritatibus S. Patrum ac ſuorũ Theologorum oſtendam, inquit, eos nullum ſacrificium habere.

Stancari verba ſuperba.

Magnifica verò promiſsio. Sed quomodo id nobis Stancarus oſtẽdit? Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus. Præcipit enim (inquit) Deus per Moyſen: Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque diminuetis ex eo, vt cuſtodiatis præcepta Iehouæ Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis. & 12. Non facietis iuxta omnia, quæ nos facimus hic hodie (ait Moſes) ſinguli quicquid rectum eſt in oculis ſuis. ſic & Chriſtus Dominus poteſtatẽ cõdẽdi nouos articulos, aut qd aliud inſtituẽdi ademit Apoſt. docens: Pręedicate Euangeliũ omni creaturæ; dicẽtes eos ſeruare omnia quęcunq; præcepi vobis. Ergo baculus in angulo. Primum Stancare, vt tibi reſpon-

Cur ergò Stancarus nobiſcũ diminuit præcepta decircunciſione, & c quæ ibidem continentur.

Deut. 4.

Matth 28.

 deam:

Reſponſio. deam: ſi nihil addendum eſt ſcripturis, nihil detrahendum: cur tu nobis tam multa ex Iudaicis fabulis de tribus placentis, quæ nuſquam in ſcripturis Canonicis extant, attuliſti? cur tu tam multa ex Rabbinorum commentarijs, ex Lutheranis tuis, imò ex commentis capitis tui, expreſſo Dei verbo addidiſti? Cur tā multa de vero ſenſu ſcripturarū peruerſis interpretationib. tuis detraxiſti? cur demq; hunc tam blaſphemū & impiū librū edidiſti? Deinde, nos quidē certè nihil ſcripturis ſanctis addimus, neq; detrahimus; ſed cōtra prophanas vocum nouitates, contra hominum figmenta, contra vos, inquam, hęreticos, qui nouos nobis fidei articulos ſubinde cuditis, atq; recuditis, & nouas leges figitis atq; refigitis, verū ſcripturæ ſenſum defendimus, & Catholicam locorum expoſitionem afferimus. Si quidem non de ſcriptura, ſed de ſcripturæ intelligentia certamen nobis eſt. Nobis verò (vt iiſdem Tertulliani verbis vtar cōtra te, quæ tu imperitè contra nos adduxiſti.) Nobis, inquam, Catholicis nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere qd aliquis (hæreticorum præſertim) de ſuo arbitrio induxerit: Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quicquā ex ſuo arbitrio ꝙ inducerēt, elegerūt, ſed acceptā à Domino diſciplinam fideliter nationib. aſsigna-

Retorquetur in Stancarum Tertulliani ſētentia.

aſsignarunt. Itaq; etiam ſi Angelus de cœlo aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobs. Hæc ille.

Oſtendimus aũt ſuprà, nec nos, nec Apoſtolos ſuo arbitrio Miſſę ſacrificiũ in Eccleſiam induxiſſe, ſed diſciplinã Domini prout ipſi ab eo acceperant, fideliter nationib. adſignauiſſe. Sic enim & Irenæus teſtatur, quòd Dominus Ieſus in vltima cœna, nouam noui teſtamenti oblationem Apoſtolos docuit, quàm Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mũdo offert Deo. Ecce quàm ſibi vndiq; concordat veritas, & veſtra mendacia vbiq; corruunt? Nã & illud falſum eſt, quòd ais: Apoſtolis ademptã eſſe à Chriſto quiduis aliud ſtatuendi poteſtatem. *Miſſam quis inſtituerit.*

2. Apoſtolos et Synodos haberemul ta ſtatuendi poteſtatē Actor. 15.

Vide enim mihi, quid Apoſtoli in primo ipſo Hieroſolymitano concilio ſtatuerint, & qualia inde decreta miſerint eis qui erant Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ fratrib. ex gentibus. Verba decreti hæc ſunt. *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Atque hinc diſce, quanta ſit authoritas & poteſtas Synodorum: quòd ea Synodus non dubibitauit abrogare Circumciſionem, tam

grauiter mandatam omnium credentium patri Abrahæ, idq́; diu ante latam legem: cum tamen eius obrogationis nullum haberent mandatum à Domino Ieſu. Quod non ſolùm inde colligitur, quòd non fiat eius mentio in Euangelio: ſed multò magis, quòd non dicunt, ſic præcepiſſe Dominum Ieſum, ſed, Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Sed ad reliqua.

3. *Aliud Stãcari argumentum.* Adducit Stancarus & D. Hieronymi ſententiam ſuper illud Pſalmi 86. Dominus narrabit in ſcripturis populorum &c. *Principes*, inquit, *Eccleſiæ & principes Chriſti, hoc eſt, Apoſtoli, & Euangeliſtæ non ſcripſerunt paucis, ſed vniuerſo populo.* Hæc Hieronymus. Quæ nihil certè faciunt contra nos, quamuis hîc Stancarus adſcripſerit, Notate hoc Papiſtæ. Non enim negamus Apoſtolos, & Euangeliſtas, non Sacerdotibus nec literatis tantùm: ſed omni populo & vniuerſæ ſcripſiſſe Eccleſiæ. Deinde quòd dicit Hieronym9: Vt exceptis Apoſtolis quodcunque aliud poſtea dicetur, abſcindatur: non habeat poſtea authoritatem: Quãuis ergo ſanctus ſit aliquis poſt Apoſtolos, quamuis diſertus ſit, non habet authoritatem. Quoniam Dominus narrat in ſcriptura populorũ, & principum horum qui fuerunt in ea. Hoc inquam non ita accipiendum eſt, quaſi dicta Pontificum, Conciliorum

Cur ergo ipſe Stancarus D. Hieronymum citat contra nos, ſi non habet Autoritatem.

ciliorum & Doctorum Eccleſiæ nullam habeāt authoritatem, quod falſum eſt: ſed quòd non habent authoritatem ſcripturæ Canonicę & Apoſtolicæ, quod eſt veriſſimum. Nullius enim hominis poſt Apoſtolos, quantumuis ſanctus, quantumuis etiam diſertus ſit, tanta eſt autoritas, quāta eſt ſcripturarum ſanctarum, in quibus narrat Dominus, per principes ſuos Apoſtolos & Euangeliſtas, qui fuerunt in ea: Quemadmodum ſeipſum ibidem Hieronymus apertè explicat. Non tamē fruſtra dictum eſt Apoſtolis & Apoſtolorū ſuccesſoribus: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et: Qui Eccleſiam nó audierit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus.

Illa verò q̃ Sancti Apoſtoli dixerunt, & viuo ſermone tradiderūt nō minorē habēt autoritatē, quā ea, q̃ ſcripſerunt.

Luc. 10.

Matth. 18.

Profert poſtremò & D. Thomæ & Gabrielis Biel Theologorum ſententias, qui cum omnibus orthodoxis palàm profitentur: Nullam purā creaturā, neç Angelos, nec Apoſtolos, nec Eccleſiā, multò minus Eclleſiæ mēbra poſſe inſtituere Sacramenta, quæ ſcilicet eſſent gratia efficacia ſigna. 4.

Alia Stancari obiectio.

Quaſi verò nos dicamus contrarium. Nō hoc tibi, Stancare, probandum fuit. Nō enim in eo eſt controuerſia. Sed illud oſtendendum fuit; Miſſæ ſacrificium, hoc eſt, nouam noui teſtamenti oblationem, & iuge Chriſti Eccleſiæ ſacrificium ſecundū ordi

Reſponſio.

nem Melchiſedech, non à Chriſto Domino, ſed ab aliqua pura creatura fuiſſe conſtitutum. Hoc tu mihi nũquam probabis, rumparis licet. Nos verò contrarium abũdè probauimus: & ſi opus fuerit, fuſius etiã probabimus.

Nihil igitur minus Stancarus oſtendit, quàm quòd tam confidẽter miles glorioſus pollicebatur ſe oſtenſurum, Papiſtas nullum ſacrificium habere.

Nos verò ne prolixiores ſimus, concludimus tandem, quòd fundamenta Catholicorum de ſacrificio Miſſę firma & inconcuſſa permanent: & quòd tum Malachiæ locus, tum Melchiſedechi ſacrificium, tum iuge Danielis ſacrificium, Miſſæ ſacroſanctæ teſtimonium præbent firmiſsimum. Quam dum Stancarus conatur ſubuertere, ſatis profectò indicat, membrum Antichriſti ſe eſſe, qui illam tandem auferet. Deus autem & ipſi Stancaro, & hæreticis omnibus det mentem meliorem, ſi fortè conuertantur & viuant.

QVARTVS LOCVS ex ſuperabundantia additus.

1. Cor. 11. Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22.

Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum,

quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam cõmemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcunq; bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem DOMINI annunciabitis donec veniat.

Quòd his verbis, Hoc facite in meã cõmemorationem, noui teſtamenti nouam oblationem Chriſtus inſtituerit.

Teſtimonia Patrum.

Irenæus lib. 4. cap. 32. contra Valentinum.

Sed & ſuis diſcipulis (Dominus) *dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis: non quaſi indigẽti, ſed vt ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint: eum qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit dicẽs: Hoc eſt meum corpus, & calicẽ ſimiliter qui eſt creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt: & noui teſtamenti nouam docuit oblationem: quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo, & cætera.* **Chriſtus docuit nouã oblationẽ**

D. Alexander Pontifex in epiſt. 1.

Ipſa verò veritas nos inſtruit, calicẽ & panẽ in Sacramẽto offerre, quando ait, Accepit Ieſus panẽ **Dominus nos in-**

ſtruxit offerre. *& benedixit, deditq́; diſcipulis ſuis dicens: Accipite & mãducate, hoc enim eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem, &c. Crimina*

Sacrificiũ Miſſæ propiciatoriũ. *enim atq; peccata oblatis his Domino ſacrificijs delẽatur. idcirco et paſſio eius in his cõmemorãda eſt, qua redempti ſumus, & ſæpius recitanda, atq; hæc Domino offerenda: talibus hoſtijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quã corpus & ſanguis Chriſti, Nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, Quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt, et pura mente ſumenda, atq; ab omnibus veneranda. Et ſicut potior eſt cæteris, ita potius excoli, & venerari debet.*

Martialis in Epiſtola ad Burdegalenſes cap. 3.

QVòd, inquit, *Chriſti corpus Iudæi per inuidiam in ara crucis immolauerunt, putantes*

Sacrificiũ propiciatorium. *ſe nomen eius terra abolere: nos cauſſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus, ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtãdam, & mortẽ effugandam. Hoc enim ipſe Dominus noſter iuſſit nos*

NOTA. *agere in ſui commemorationem.*

Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. ad Cæcilium.

NOTA. N*Am ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei patris, & ſacrificiũ Deo patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui cõmemorationẽ præcepit: vtiq; illi Sacerdos*

vice

vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur. Et ſacrificium verum & plenum tunc offert Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Nota.

Euſebius Cæſarienſis Euangelic. Demonſtrat lib. 1. cap. 10.

Poſt omnia quaſi mirabilem quandam victimam, ſacrificiumq́ eximium, Patri ſuo operatus, pro noſtra omnium ſalute obtulit: eiusq́ rei memoriam, vt nos ipſi Deo pro ſacrificio offerremus, inſtituit.

Idem ibidem: *Paraſti in conſpectu meo mēſam contra eos, qui affligunt me. Pingue feciſti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians, quàm præſtantiſſimus. Palàm in his myſticam ſignificat vnctionem, & horrorem afferentia menſæ Chriſti ſacrificia, quibus operantes incruentas & rationales, eiq́ ſuaues victimas, in tota vita ſupremo Deo offerre, per eminentiſſimum omnium ipſius Pontificem edocti ſumus.* Nota.

Ambroſius in præparat. ad Miſſam. *Chriſtus docuit offerre.*

Accedo ad altare tuum, vt offerā tibi ſacrificiū, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationem tui pro ſalute noſtra.

Gaudentius ſerm. 2.

Diſcipulis eius, inquit, *fidelibus mandat, quos primos Eccleſiæ ſuæ conſtituit Sacerdotes, vt indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent, quæ neceſſe eſt à cunctis ſacerdotibus per ſingulas totius orbis Eccleſias celebrari: vſq́ quo Chriſtus iterum* *Chriſtus mandauit offerré.*

de cœlo adueniat,quo & ipſi Sacerdotes,& omnes pariter fidelium populi exemplar paſsionis Chriſti ante oculos habentes quotidie & gerentes in manibus,ore etiam ſumentes ac pectore, redemptionis noſtræ incredibilem memoriam teneamus.

Chryſoſtom. Homil. 17.ad Hebr.

Pontifex noſter ille eſt, qui hoſtiam nos mundantem obtulit,ipſam offerimus & nunc,quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nós facimus , in commemorationem quidem fit eius,quod factum eſt.Hoc enim facite, inquit, *in m eam commemorationem.*

Chriſtus obtulit mundantē nos hoſtiā: Eandem & nos offerimus.

Ergo ſacrificium Miſſæ eſt propiciatoriū.

Idem in 1.Corinth. 10.

Et in veteri quidem Teſtamento,cum imperfectiores eſſent,quem idolis offerebant ſanguinem, eum ipſe accipere voluit (Deus) *vt ab idolis eos auerteret, quod etiam inenarrabilis amoris ſignũ erat. Hic autem multò admirabilius, & magnificentius ſacrificium præparauit,& cum ſacrificium ipſum commutaret, & pro brutorũ cæde, ſeipſum offerendum præciperet.*

Chriſtus percipit ſeipſum offerri.

Theodoretus in 8.cap.ad Hebr.

Clarum eſt, inquit, *non aliud nos offerre ſacrificium, ſed vnius illius memoriam agere : hoc enim præcepit nobis ipſe Dominus. Hoc facite in meam commemorationem.*

Nota:

Auguſtinus in Pſal.33.

*Poſtea ipſe Chriſtus,*inquit,*de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech.* Idē de ciu.Dei li.10.ca.20.

Per

*Per hoc ſacerdos eſt,*inquit,*ipſe offerens,ipſe & oblatio, cuius rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit eccleſiæ ſacrificium.*

Leo Pontifex ſerm. 7. de paſsione Domini.

*Ieſus,*inquit,*diſcumbentibus ſecum diſcipulis, ad edendam myſticam cœnam corporis & ſanguinis ſui ordinans teſtamentum , docebat qualis hoſtia deberet offerri Deo.* **Nota.**

Canon Miſſæ Romanus.

Hoc facite etc. Vnde & memores nos Domine ſerui tui,huius tā beatæ paſsionis etc.offerimus etc.

Ambroſius in ſua Miſſa.

Quid deſperare de tua miſericordia poſſumus, qui tantum munus accepimus, vt talē tibi hoſtiam offerre mereremur , corpus ſcilicet, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui ſe pro mundi redēptione,piæ illi,ac venerandæ tradidit paſsioni. Qui formam ſacrificij ſalutis perennis inſtituens , hoſtiam ſe primus obtulit, & primus docuit offerri. **Chriſtus docuit offerri.**

Item : *Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius tuus, in nouo teſtamento ſacrificandi ritum inſtituit,dum panem,ac vinum, quod Melchiſedech in præfiguratione myſterij futuri Sacerdos obtulerat, in Sacramentū ſui corporis,& ſanguinis transformauit celebrandū. Et in libro de Sacramētis. Quātum ſit Sacramentū cognoſce: Quotieſcunq; hoc feceritis, totiēs cōmemorationem mei facietis,donec iterū veniā. Et Sacerdos dicit: Ergo memores glorioſiſsimæ eius paſsiōis,et ab inferis reſurrectionis,* **Chriſtus ſacrificandi ritum inſtituit.**

& in

& in cœlum aſcenſionis,offerimus tibi hanc immaculatam hoſtiam, rationabilem hoſtiam, incruentam hoſtiam,hunc panem ſanctum,& calicem vitæ æternæ:& petimus & precamur, vt hanc oblationem ſuſcipias in ſublimi altari tuo, per manus Angelorum tuorum:ſicut ſuſcipere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ,& quod tibi obtulit ſummus ſacerdos Melchiſedech.

In Miſſa S.Iacobi Apoſtoli fratris domini.

Poſt recitata verba, Hoc facite in meam commemorationem, ſubiunguntur mox: *Memores igitur & nos peccatores paſſionũ eius viuificarum crucis ſalutaris & mortis, &c. offerimus tibi Domine hoc ſacrificium verendum & incruentum.* In Liturgia Baſilij.

Similiter his verbis recitatis: Hoc facite in meam commemorationem: ſubiungit è veſtigio: *Memorantes igitur & nos ſalutarium paſſionum&c.tua de tuis tibi offerimus,&c.* Ac aliquantò ſuperius. *Tu Domine*, inquit, *oſtendiſti nobis magnum iſtud ſalutis myſterium. Tu idoneos nos fec iſti ſancti altaris tui miniſtros.*

Miniſtros altaris, inquit, non verbi tantum.

In Liturgia Chryſoſtomi.

Ibi quoque recitatis verbis cœnæ, ſubiungitur mox: *Memoriam igitur agentes ſalutaris huius mandati, & omnium pro nobis factorum, crucis &c.tua de tuis tibi offerentes.*

Quæ verba Germanus Patriarcha Con

ſtātinopolitanus explicās, *Dominus*, inquit, *noſter Ieſus, precioſum ſuum corpus & ſanguinem nobis dedit, inquiens : Hoc facite in meam commemorationem. Nos aūt memores eius mandati ἀντίτυπα, hoc eſt, figuralia.* Sic enim vertit interpres, *offerimus, inquiētes, tua ex tuis tibi, &c.* Ac aliquātò ſuperius: *Fac nos dignos, vt offeramus tibi ſacrificia immaculata ꝑ populo tuo, et idoneos nos redde, quos in hoc tuo miniſterio poſuiſti.* *In ſua verò Eccleſiaſticarū Theoria.* *Sacrificiū pro populo.*

Ac paucis interiectis : *Summus Pontifex noſter Sacrificiorum ritum inſtituiſti, ac ſolennis huius & immaculati ſacrificij celebrationem nobis mandaſti.*

In Miſſa Aethiopum.

Poſtquam dixit Sacerdos: Quoties hoc feceritis &c. ſubiungit. *Nunc autem recordamur mortis tuæ, & reſurrectionis tuæ, offerimusq́; tibi hunc panem, & hunc calicem, tibiq́; gratias agimus, quod per hoc ſacrificium dignos nos feciſti ſtandi in conſpectu tuo, & Sacerdotale coram te officium exercendi.*

In Liturgia apud Clementem.

Recitatis hiſce verbis, Hoc facite, *Memores igitur*, inquit, *paſsionis eius & mortis, offerimus tibi, Regi & Deo, ſecundū ipſius ordinationē panem & calicem hunc &c.* Et aliquātò ſuperius. vbi tractat de ordinatione Epiſcoporum: *Placeat*, inquit, *tibi laudabiliter offerendo tibi mūdā & incruentā hoſtiā, quā pro Chriſto inſtituiſti, myſteriū noui teſtamēti in odorē ſuauitatis. Et*

tis. Et in fine eiuſdē libri: Primus, inq̄t, *natura Pōtifex & vnigenitus Chriſtus, qui nō ſibijpſi honorē* Nota. *arripuit, ſed conſtitutus eſt à Patre: qui ꝓpter vos factus homo & ſpirituale ſacrificiū offerēs Deo & Patri ſuo, ante paſsionē, nobis ſolis præcepit hoc facere, quāquā præſentes nobiſcū eſſent alij, qui in ipſum crediderūt. Sed non omnino omnis qui credit, continuò Sacerdos eſt, & pontificium conſequitur honorem. Poſt autem aſſumptionem ipſius, nos oblato ſecundum ordinationem eius ſacrificio, purò & incruento conſtituimus etc.*

Dionyſius Areopagita, de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 5. part. 3.

Is itidē vt Clemēs, diſcipulos ad functionem Sacerdotalē à Chriſto in cœna fuiſſe promotos indicat: *Cæterùm ita, ne prius hoc officio fungerentur, quàm aſſumptus in cœlum Spiritum ſanctum eis miſiſſet.*

Et aliquātò ante: *Hoc facimus*, inquit, *vt eloquia aiunt, in eius recordationē.*

Et paucis interiectis. *Quod hoſtiam ſalutarem, quæ ſupra ipſum eſt, libet, excuſat ſe, decenter idipſum exclamans: Tu dixiſti: hoc facite in meam commemorationem.*

Gregorius Nyſſenus oratione 1. de Reſurrect. Domini.

Nullus tollit animā meā, ſed ego pono eā à me ipſo: poteſtatē habeo ponēdi eā, ac poteſtatem habeo rurſus ſumēdi eā, etc. Nā qui omnia pro Dominica poteſtate atq; authoritate adminiſtrat, non expectat

ctat vel ex proditione neceſsitatẽ, vel Iudæos graſſatorũ in modũ adoriẽtes, vel Pilati iudiciũ iniquũ: vt illorum ſcelus ac malicia, communis hominum ſalutis principium & cauſſa eſſet: ſed pro ineffabili arcanoq́ʒ, & qui ab hominibus cerni nequit, ſacrificij modo, ſua diſpoſitione & adminiſtratione præoccupat impetum violentum, ac ſeſe oblationem ac victimã offert pro nobis, Sacerdos ſimul & agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Quando hoc accidit. Quum ſuum corpus ad comedendum, & ſanguinem ſuum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet enim hoc perſpicuũ eſt, quòd victima homo veſci nõ poſsit, niſi comeſtionem mactatio præceſſerit. Qui igitur dedit diſcipulis ſuis corpus ſuũ ad comedendum, apertè demonſtrat, iam perfectã & obſolutam factam eſſe immolationẽ. Non enim ad edendum idoneũ eſſet corpus victimæ animatũ. Chriſtus ſe ipſum in cena obtulit.

Theophilactus in 28. cap. Matthæi.

Manifeſtũ eſt, quòd Chriſtus tunc immolauerit ſeipſum, ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuum.

Petrus Abbas Cluniacenſis epiſt. 1.

Hoc eſt, inquit, *noſtrum ſacrificium, hoc leges Euangelicæ, hoc noui teſtamenti, hoc noui populi holocauſtum: quod tunc ſemel in cruce à Dei & hominis filio Deo oblatum eſt: & quòd ſemper in altari ab ipſius populo offerendum, ab eodem præceptum & inſtitutum eſt. Non enim aliud tunc oblatum, aliud nunc offertur. Sed quod, vt dictum eſt, ſemel Chriſtus obtulit, hoc ſemper Eccleſiæ ſuæ offerendum reliquit.*

Appen-

Appendix De tranſſubſtantiatione.

Quoniam verò Stancarus, cū Miſoliturgis omnibus, Tranſſubſtantiationem etiā oppugnat, Appendicē hāc adijcere libuit.

Quòd per verba conſecrationis, in ſacramento Euchariſtiæ, ſubſtantia panis in corpus, & ſubſtantia vini mutetur in ſanguinem Domini, manentibus tantùm ſpeciebus panis & vini.

Serm. Cathechetico de diuinis Sacram. Trāſmutatio.

S. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus.

Rectè igitur & nunc panem diuino verbo, ſanctificatum in corpus Dei verbi tranſmutari credimus.

Mutatio.

S. Baſilius Epiſcopus.

FAC panem hunc, ipſum precioſum corpus Domini Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, hunc calicem ipſum precioſum ſanguinem Domini Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, mutans ſpiritu tuo ſancto.

Panis fit corpus Chriſti.

Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem.

Chriſtus acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum, illum fecit: hoc eſt corpus meum dicendo &c.

Mutatio nō in ſpecieb. ſed in natura, hoc eſt in ſubſtantia.

Cypria. Sermone de cœna Domini.

Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vitam &c.

Idem

Idem Sermone eodem: *Panis iſte quem diſcipulis Dominus porrigebat, non effigie ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro.* Ambroſius lib. 4. de Sacram.

Mutatio nõ in ſpecieb. ſed in natura, hoc eſt in ſubſtantia.

Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe, quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant & in aliud commutentur. Idem ibidem: *Panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit carò Chriſti.*

Cõmutatio in aliud manentib. iiſdem quæ ante erant ſpeciebus,

Nota, de pane fit carò Chriſti.

Et infrà: *Ergò didiciſti, quòd ex pane corpus Chriſti fiat, & quod vinum & aqua in calicē mittitur: ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis.*

Item: *Forte dicas: Aliud video, quo modo mihi aſſeris, quòd Chriſti corpus accipiam.* Et allatis multis exemplis, quibus probat in Sacramento non eſſe hoc quod natura formauit (id eſt non remanere panem & vinum) ſed quod benedictio conſecrauit, hoc eſt conuerti & transſubſtantiari per verba conſecrationis in corpus & ſanguinem Domini) concludit tandem: *Quod ſi tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret: quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur?*

Mutatur panis naturæ conſecratione.

Idem in lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem, dico tibi, quòd iam corpus Chriſti eſt. Antequam conſecratur, panis eſt: Vbi autem verba Chriſti,* (Hoc eſt corpus meũ) *acceſſerint,*

Nota, Iam non eſt panis, ſed eſt Deus,

iam non eſt panis ,ſed corpus eſt Chriſti. Et ante verba Chriſti ; calix eſt vini et aquæ plenus: vbi verba Chriſti, (Hic eſt ſanguis meus) *operata fuerint, ibi ſanguis efficitur qui plebem redemit.*

Auguſt.de verbis Domini ſerm.28.

Translatio. Cõmutatio *Dixi vobis quòd ante verba Chriſti quod offertur panis dicatur : vbi Chriſti verba deprompta fuerint,iã nõ panis dicitur, ſed corpus appellatur.*

S. Heſychius præsbyter lib. 6. in Leuitic. cap.22.

Miraculũ transſubſtantiationis Chriſto dandũ eſt. *Sanctificationem myſtici ſacrificij, & à ſenſibilibus ad intelligibilia translationem ſiue commutationem, ei qui verus eſt Sacerdos, videlicet Chriſto, oportet dari:id eſt, ipſi de eis miraculum cedere & imputare, quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, quæ videntur, tam ſanctificata ſunt quàm cunctum carnis excedunt ſenſum.*

Trãſmutatio. S.Ioan. Chryſoſtomus in ſacra Liturgia.

Emitte ſpiritũ tuum ſanctũ ſuper nos & ſuper propoſita dona hæc, et fac panem quidem hunc precioſum corpus Chriſti tui, et in calice hoc precioſum ſanguinem Chriſti tui tranſmutãs ſpiritu tuo ſancto. Idẽ Homil.83. In Matth. *Credamus vbiq; Deo, nec repugnemus ei, etiãſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit: ſuperet et ſenſum et rationem noſtram, quæſo ipſius verbum: quod in omnibus, et præcipuè myſterijs faciamus*

tiamus: non illa quæ ante nos iacent ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt: Illa falſa eſſe non poſſunt: hic ſæpius atque ſæpius fallitur. *Nota.*

Quoniam ergo ille dixit. Hoc eſt corpus meũ, nulla teneamur ambiguitate, ſed credam⁹ et oculis intellectus id perſpiciamus. Nõ ſunt humanæ virtutis hæc opera: quæ tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoq; operatur, ipſe perficit: miniſtrorum ordinem nos tenemus, qui verò hæc ſanctificat & transmutat, ipſe eſt qui dixit, Hoc eſt corpus meum. *Transſmutatio.*

Idem in Matth. Hom. *51. Is qui dixit. Hoc eſt corpus meum, et rem ſimul cum verbo confecit.*

Idem 2 ad Tim. Hom. 2. *Sacra illa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue illam Paulus, ſiue cuiuſuis meriti offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamq; ſacerdotes modò quoque conficiunt.* *Chriſtus oblationẽ tradidit diſcipulis, quã ſacerdotes nunc quoq; conficiunt.*

S.Cyrillus Epiſcopus ad Caloſ. Epiſcopum. *Conuerſio in veram carnem.*

Ne horreremus carnem & ſanguinem appoſita ſacris altaribus, condeſcendens Deus noſtris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis.

S.Euthymius Heremita cap. 64. in Matthæum. *Nota, ſacrificium noui Teſtamẽti.*

Itaq; ſicut vetus teſtamẽtum hoſtias & ſangui-

nem habebat: ita ſanè & nouum, corpus videlicet & ſanguinem Domini. Non dixit.. Hæc ſunt ſigna corporis mei & ſanguinis mei: ſed hæc ſunt corpus meum & ſanguis meus. Oportet ergò non ad naturam eorum quæ proponuntur aſpicere, ſed ad virtutem eorum. Quemadmodum enim ſuper naturaliter aſſumptam carnem deificauit (ſi ita loqui liceat) *ita & hæc ineffabiliter tranſmutat in ipſum viuificum corpus ſuum & in precioſum ſanguinem.*

Tranſmutatio.

S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14.

Tranſmutatio.

Panis & vinum tranſmutatur in corpus & ſanguinem Domini. Si autem modum requiris, quonam pacto fiat, ſit tibi ſat audire, quoniam per ſpiritum ſanctum: Neque hoc dictu promptũ, quomodo naturaliter per comeſtionem panis, & vinũ & aqua per potionem in corpus & ſanguinẽ comedentis & bibentis tranſmutatur, & non ſit aliud corpus, præter id, quod prius erat ipſius: Sic & propoſitionis panis, vinumq́, & aqua, per inuocationẽ & aduentum ſpiritus ſancti ſupernaturaliter trãſmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti, & non ſunt duo ſed vnum & idem. Idem infrà: *Non eſt figura panis & vinum corporis & ſanguinis Chriſti* (abſit enim hoc) *ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicente: Hoc eſt corpus meum, non figura corporis: & non figura ſanguinis, ſed ſanguis.*

Supernaturalis tranſmutatio.

Theophil. Epiſcopus in Matt. ca. 26.

Non

Nō dixit Chriſtus: Hoc eſt figura, ſed hoc eſt corpus meū. Ineffabili enim operatiōe tanſformatur, etiāſi nobis videatur panis. Quoniā infirmi ſumus & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem, & ideo panis quidem apparet, ſed caro eſt, etc. Transformatio.

Idem in Marci cap 14. *Hoc eſt corpus meū, hoc inquā quod ſumitis. Non enim figura tantum & exemplar quoddam Dominici corporis panis eſt, ſed in illud ipſum conuertitur corpus Chriſti: Dominus enim dicit: Panis quē ego dabo, caro mea eſt: nō dixit, figura eſt carnis meæ, ſed caro mea eſt.* Conuerſio

Idē in eodem capite. *Sanguinem propoſitū & carnem videntes nō ferremus, ſed abhorremus. Idcirco miſericors Deus noſtræ infirmitati cōdeſcendens, ſpeciē quidem panis et vini ſeruat, in virtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat.* Tranſelementatio.

Idē in Ioannis cap. 6. *Transformatur arcanis verbis panis ille per myſticā benedictionem & acceſſionem ſancti ſpiritus in carnem Domini. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur.* Transformatio. Mutatio panis in carnem.

Magnum & Generale Lateranenſ. Concilium ſub Innocentio tertio.

Vna eſt fideliū Vniuerſalis Eccleſia, extra quā nullus omnino ſaluatur. In qua idem ipſe Sacerdos & ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius corpus et ſanguis, in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis et vini veraciter continentur, transſubſtantiatis pane in corpus, et vino in ſanguinem poteſtate Diuina, vt ad perficiendū myſteriū vnitatis accipiamus Et habetur cap. 10. Decretal. De ſumma Trinita. & fide catho. Tranſſubſtantiatio

ipſi de ſuo quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc vti\[que\] Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos fuerit ritè ordinatus ſecundum claues Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus IeſusChriſtus.

Audiuimus Eccleſiæ Catholicæ ſententiam de mutatione, commutatione, tranſmutatione, tranſlatione, tranſſumptione, conuerſione, transformatione, tranſelementatione, ſiue transſubſtantiatione panis & vini in corpus & ſanguinem Domini. His enim vocibus omnibus promiſcuè vtuntur ſacri Doctores, & ſcriptores Eccleſiaſtici. Nunc quid contra Stancarus afferat, audiamus. Mutatio, inquit, in ſcripturis dupliciter in propoſito noſtro reperitur. Primò ſecundū ſubſtantiā, deinde ſecundū qualitatē. Et mutatio ſecundū ſubſtantiā realiter & ſubſtātialiter fit, non aūt imaginaria, ficta, Chimerica. Et hęc duplex eſt. Vna naturalis, miraculoſa altera. Naturalis, cū cibi in ſubſtantiā cibati transſubſtantiātur, ſeu mutātur, vt notū eſt. Miraculoſa, quæ diuina potentia & virtute fit vt de mutatione virgę Moyſi in ſerpentē, & rurſus ſerpentis in virgā, itē aquę in ſanguinē, & rurſus aquæ in vinum: quæ vera, & naturalis atque ſubſtantialis fuit, non autem ficta, quam omnes, quibus coram facta fuit, corporeis oculis viderunt. Mutatio verò ſecundum qualitatem, vt quā-

Stancari præſtigia cōtra Tranſſubſtanti.

Exod. 4. et 7.
Ioan. 4.

do Saul mutatus fuit in virum aliũ,& prophetauit,&c. Eſt & alia ſecundum honorẽ & dignitatem, qualis fuit Eſther in Reginam. Ad hunc itaq; modum panis & vinũ, inquit, in cœna Domini in corpus & ſanguinem Chriſti mutantur dignitate & honore, non autem ſubſtantia & qualitate viſibili. Remanet enim ſubſtantia panis & vini in Sacramento Euchariſtiæ,& albedo & rubedo panis & vini ſeruatur etiã poſt conſecrationem, vt ſupra ex ore Chriſti & Apoſtoli viſum eſt. Hæc Stancarus. Vbi in blaſphemiam tandem, homo perditus erumpit: Quorſum opus eſt, inquit, cẽties mille in die ex pane facere Chriſtũ, & illũ deuorare? Nonne nobis ſufficit vnus ille Chriſtus, qui pro nobis redimendis & ſaluandis in ſacrificium ſeſe obtulit Deo?&c. Quaſi verò nos aliũ Chriſtum vel offeramus, vel mãducemus ſub panis & vini ſpeciebus, quã qui ſemel in cruce oblatus eſt. Aut quaſi non apertè Chriſtus nouã hanc oblationem Apoſtolis tradiderit, & fieri præceperit in ſui commemorationem.

1. Reg. 10.

Stancari blaſphemia.

Sed & ad Stancari Diuiſionẽ veniamus; in cuius vitijs oſtendendis ego hîc nolo immorari. Sufficit illud oſtendere, quod quã iſte ſubſtantialem mutationem appellat, ea eſt ſubſtantialis & accidentalis ſimul. Nam mutatio virgæ Moyſi in ſerpentẽ &

Stancari vitioſa diuiſio.

contra, itemque aquæ in ſanguinē, & aquæ in vinum non ſecundum ſubſtantiam tantùm, ſed etiam ſecundum qualitatem & reliqua accidentia. Vinum enim in Cana Galileæ ex aqua conuerſum, ſicut ſubſtantiā aquæ amiſerat, & ita accidentia aquę omnia: & ſicut fuit verum vinum, ita & colorem & odorem & ſaporem vini adeptum eſt. Ita & de virga in ſerpentē verſa, & aqua in ſanguinē ſentiēdum eſt: quòd illa mutatio fuerit non ſubſtantiarum tantùm, verùm etiam accidentium omnium. Ideo nihil mirum quod illam totius ſubiecti mutationem, omnes quibus coram facta fuit, corporeis oculis viderint, & guſtu tactuue perceperint. Subſtātię enim nec videri, nec ſenſibus exterioribus percipi poſſunt, ſed accidentia tantùm.

Falſa igitur eſt Stancari diuiſio, & vitioſa duplici nomine: tum quod tertium mēbrum prætermiſerit ad rei naturam explicandam neceſſarium: tum quod vni membro adiunxit id quod alienum eſt. Nam in ſubſtantiali mutatione, accidentales etiā mutationes repoſuit. Id quod in Dialectica permagnum ſanè peccatum eſt. Sed mirū non eſt Stancarū in Philoſophia & in Dialectica peccare, qui & in Grammatica ſępè fœdè ac turpiter peccat.

Sed & hæc fuerit plena & perfecta diui-

ſio.

ſio. Mutatio in ſcripturis duplex eſt, Naturalis vna, Miraculoſa altera. Miraculoſa vero triplex, Subſtantialis tantùm, vt cùm ſubſtantia mutatur in ſubſtantiam, non mutatis accidentibus. Accidẽtalis tantùm, vt cùm accidentia mutantur, manente eadem ſubſtantia: Et ſubſtantialis accidentaliſq; ſimul, vt cùm fit totius ſubiecti mutatio, qualis fuit virgæ in ſerpentẽ & contrà, itemq; aquæ in ſanguinẽ, & aquæ in vinũ. *Mutationis vera diuiſio.*

In ſacramento Euchariſtiæ non eſt mutatio totius ſubiecti, nec eſt accidentalis mutatio. Manent enim etiam poſt conſecrationem eadem panis & vini accidentia, vt odor color & ſapor, quæ prius fuerunt ante conſecrationem: ſed eſt mutatio ſubſtantialis tantum, hoc eſt mutatio ſubſtantiæ panis & vini, in ſubſtantiam carnis & ſanguinis Domini: quam mutationem idcirco Eccleſia rectiſsimè Transſubſtantiationem, transformationem, & tranſelementationem appellauit: quòd non amplius elementa panis & vini remaneāt, ſed ſubſtantia, ſeu forma ſubſtantialis panis & vini tranſeat in corpus & ſanguinem Domini. Cuius equidem mutationis, ſi aliud quodpiam in ſcripturis exemplum requiris, non erit ſingularis, ſi in natura, nõ erit mirabilis. *Quid hîc quæris*, inquit Ambroſius, *natura ordinem in Chriſti corpore, cum præ-* *In Sacramento qualis ſit mutatio.*

Sic Euſebius Emiſſenus ait: *Viſibiles creaturas conuerti verbo & virtute ſpiritus in ſubſtantiam corporis Chriſti. Et quid mirum eſt*, inquit, *ſi ea quæ verbo creare potuit, poßit creata cõuertere in melius, Trãsformatur*, inquit Theophilactus, *ineffabili operatione, etiamſi nobis videatur panis.* *Euſebius.* **NOTA.** *Theophil.*

Quòd ſi rationem requiris, Cur mutata panis & vini ſubſtantia, voluerit Dominus remanere in Sacramento priores panis viniq́ue ſpecies, ſiue accidentia: reſpondet idem Theophilactus. *Quoniam* inquit, *infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem, & ideo panis quidem apparet, ſed caro eſt.* Hanc eandem & Cyrillus & Damaſcenus & pleriq; alij reddunt rationem. *Cur mutata panis et vini ſubſtãtia, remaneant accidentia.*

Falſiſsimum eſt igitur, quòd Stancarus ait, Panem & vinum mutari in corpus & ſanguinem Chriſti dignitate & honore tãtùm, non autem ſubſtantia. Cùm Cyprianus apertè reclamet: *Panis iſte*, inquit, *non effigie*, (non honore & dignitate tantùm) *ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro.* Cum Euſebius affirmet, *Viſibiles panis & vini creaturas, conuerti in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, idq́; verbo Dei, hoc eſt conſecratione, et virtute ſpiritus ſancti.* Cũ itẽ proclamet Ambroſius. *Quòd ſub panis ſpecie accipimus, verũ eſt corpus Chriſti: et* ꝙ *vini ſpecie potamus, verus eius ſanguis eſt.* Non eſt hoc, inquit, *Mutatio in Sacramento non eſt ſecundum dignitatẽ tantũ, ſed ſecundum ſubſtantiã.*

quod natura formauit, (id eſt, non eſt panis & vinũ: ſed corpus & ſanguis) *quod benedictio conſecrauit. Nam benedictione*, inquit, *etiam natura ipſa mutatur. Quod ſi tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret; quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur, Poſt conſecrationẽ* (ait idem) *iam non eſt panis, ſed corpus eſt Chriſti. Ipſe clamat* (inquit,) *Dominus Ieſus: Hoc eſt corpus meum.* Ex quibus omnibus clariſsimè patet, in Euchariſtia fieri mutationem naturę & ſubſtantię, non autem honoris & dignitatis tantùm: nec ampliùs remanere panem & vinum, ſed verè realiter & ſubſtantialiter conuerti, transformari, tranſelementari ſiue transſubſtantiari in carnem & ſanguinem Domini.

Natura panis vinum mutatur.

Cauillus Stancari cõtra Tranſſubſtantiationem.

Quòd verò Stancarus ex verbis Chriſti & Apoſtoli conatur oſtendere, nullam elementorum in Euchariſtia fieri Transſubſtantiationem: eo quòd Chriſtus poſt benedictionem, id eſt Conſecrationem appellarit vinum vinum, quod more Hebraico appellat fructum vitis: quo nobis, inquit, oſtenderet, nullam elementorum factam fuiſſe conuerſionem ſeu transſubſtantiationem, cum ait: *Dico autem vobis: Non bibam à modò de hoc genimine vitis, vſq; in diem illum cum illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei.*

Mat. 26.

Ad hoc reſpõdemus, falſum eſſe, quòd hæc verba Chriſtus poſt conſecrationem, ſeu poſt diſtributionem Sacramenti dixerit: Nam licet Matthæus & Marcus ea poſt diſtributionem Sacramenti poſuerit, qui curioſi non fuerunt, vt ordinem hiſtoriæ ad amuſsim obſeruarent, Lucas tamen ea verba ante conſecrationem Euchariſtiæ à Chriſto fuiſſe prolata, apertè oſtendit his verbis: *Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim cum eo. Et ait illis: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & diuidite inter vos, Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Hactenus hæc omnia ad vetus Iudaicum Paſcha pertinent: ſequitur iam conſecratio, oblatio & diſtributio ſacramenti. *Et accepto pane,* εὐχαριστήσας ἔκλασε, hoc eſt, *benedixit* ſeu Euchariſtiam eam fecit: *& fregit, & dedit eis dicẽs: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur:* (obſerua iam tunc offerebatur, iam pro nobis Deo dabatur Chriſti corpus, quod poſtridie tradendum in mortem fuit) *hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem poſtquam cœnauit, dicens: Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effunditur,* τὸ ἐκχυνόμενον.

Reſponſio

Luc. 22.

Chriſtus in cœna obtulit corpus ſuum.

Vbi

Vbi notandum eſt,ait quidã,quòd mãducatio iſta de qua ſolus Lucas (Quia ex hoc non manducabo illud) & potus de genimine vitis,de quo tres Euãgeliſtæ faciũt mentionẽ,nõ intelligatur de mãducatione corporis Domini, neq; de potu ſanguinis. Quia apertè Lucas recitat poſt illa verba, Chriſtum accepto pane & vino, corpus & ſanguinem ſuũ cõſecraſſe ac diſcipulis tradidiſſe:ita quòd inter manducandum Paſcha legale hæc verba dixerit: *Non bibã poſthac de genimine vitis, &c.* Licet Matthæus & Marcus, qui curioſi non fuerunt hiſtoriæ ordinem ſeruare, quòd Chriſtus ante dixit, poſt oblatum calicem dictum repetũt. Horum autem verborum is eſt ſimpliciſſimus ſenſus. Non bibam à modo, id eſt finito hoc paſchali conuiuio, non amplius vobiſcum bibam de hoc fructu vitis. (Nam quòd poſtea bibit cum illis, non iam vinũ ſimplex, ſed ſub vini ſpecie ſanguis eius fuit) vſque in diem illum, ſcilicet poſtquàm reſurrexero, tum bibam illud vobiſcũ nouum in regno Patris mei, id eſt, in reſurrectione mea, quam regnum patris appellat, quod verè tunc poſt reſurrectionẽ, ſubiugata morte & inferno regnare cœperit. Quòd autem dicit, illud nouũ ſignificat, ꝙ nouo modo bibiturus eſſet, ſcilicet iam immortalis factus, nulloque cibo aut potu indigens.

Senſus Chriſti verborum. Matth. 26.

Ita ferè

Ita ferè Chryſoſt. quamuis non deſunt etiam, qui ſic interpretétur verba Domini Saluatoris, vt dicat ſe non amplius manducaturum vetus illud Paſcha, nec bibiturũ vinũ ſimplex de genimine vitis, quoad inſtituto ſanctiſsimo corporis & ſanguinis ſui ſacramento, bibat illud, ſed nouũ hoc eſt nouo more in ſacramento, ſub nouo teſtamẽto, quod regnum patris ſui appellat: & hæc Chriſti verba nihil ſint aliud, quàm veteris Paſchatis abrogatio et inſtitutio noui. Nihil igitur Stãcarus ex his Domini verbis verè poteſt afferre contra conuerſionẽ ſiue trãſſubſtantiationem: quibus ea magis etiam confirmatur. Quod non difficile demõſtrari poſſet, niſi inſtituta breuitas prohiberet nos eſſe prolixiores. Altera Stãcari cauillatio eſt, ex verbis Apoſtoli falsò intellectis. Paulꝰ inqt poſt benedictionẽ, ſeu vt dicunt conſecrationem, ter panẽ appellat, quem antea corpus Chriſti vocauit: vt nullam mutationẽ panis in corpus Chriſti credamus, ſed teneamus panem remanere panem, vnà cum pane tamen corpus datum eſſe nobis. *Nota.* *5. Cauillus Stancari.*

Reſpondeo, primum falſum eſſe, quòd vel Chriſtus vel Apoſtolus poſt conſecrationem Euchariſtiã panẽ ſimpliciter appellet. Nã & Chriſtus ipſe ἄρτον εὐχαριστήσας, hoc eſt, vbi panem, Euchariſtiam fecit, vel *Reſponſio.*

ſi ita

ſi ita dicere licet, euchariſtiſauit ſeu conſecrauit, non amplius panem illum vocat, ſed inquit, *Hoc eſt corpus meum*, Hoc quod ante conſecrationem panis fuit, nunc omnipotētia verbi factum eſt corpus meum, quod pro vobis, inquit, nunc frangitur, ſed cras in mortem tradetur, vt impleatur, quòd antè prędixeram: *Panis quem ego dabo vobis, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Ita & Paulus panem benedictum ſeu conſecratum primò Domini corpus appellat: *Qui manducat*, inquit, *& bibit indignè, iudicium ſibi mãducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, Deinde non iam panem ſimpliciter nominat, ſed cum articulo & pronomine addito, τὸν ἄρτον τοῦτον, panẽ hunc de pane illo edat: Quibus verbis non vulgaris panis aut communis, ſed eximius aliquis & peculiaris denotatur, nempe panis diuinus & cœleſtis, qualem panem Chriſtus intellexit, cum dixit: *Ego ſum panis vitæ &c. Panis quem ego dabo caro mea eſt.*

Paulus poſt conſecrationem non ſimpliciter panem appellat.

Ioan. 6.

Kemniius.

Euchariſtia triplici ratione etiam poſt conſecrationem, panis dici poteſt.

Mitto quòd Lutherani ipſi recitant tres rationes, quibus ſcripturæ illæ quæ poſt benedictionem & conſecrationem euchariſtiæ panis appellationem tribuunt, poſſint exponi. Primò quia extant in ſcripturis exempla, vbi ſubſtantijs mutatis, & in aliud conuerſis, prior tamen appellatio re-

1. tinetur, deſignans non quid iam ſint, ſed

quid ante conuerſionem fuerint Ita vrga *Exod. i.*
Aaronis verſa in colubrum, etiam poſt cõ *Gen. 2.*
uerſionem vocatur virga. Homo vocatur
terra, qa ex terra factus eſt. Mulier vocatur
os ex oſsibus. Secundò, quia omne genus 2.
alimenti panis ſignificat, Euchariſtia ſacrã
panis appellari poſsit, non quòd ibi ſubſtã-
tia panis remaneat cum corpore Chriſti,
ſed quia corpus Chriſti ſit alimentum ſpi-
rituale interioris hominis. Tertiò, ꝙ ap- 3.
pellatione panis intelligi poſsint accidẽtia
panis, quæ panis ſpeciẽ præ ſe ferunt, & pa-
nis officio perfunguntur. Hæc Lutherani
Stancare tui, quibus nos hac quidẽ in parte
libenter ſubſcribimus: ſed illi nõ tã fuêre
imperiti, vt neſcirẽt, hoc argumẽtũ tuũ ni-
hil valere õninò, & multis rationib. refelli
poſſe. Cõſtát ergò ꝙ nec ex verbis Chriſti,
neq; ex verbis Apoſtoli, neque probauit,
neq; probabit vnquã Stãcarus, panẽ rema-
nere panẽ in Euchariſtia, licet Chriſtus vi-
nũ geminẽ vitis appellet, & Paulus poſt cõ-
ſecrationẽ ter panem nominet. Nã de quo
ibi loquitur Chriſtus, nõ vinũ Euchariſtę,
ſed vinũ ſimplex fuit, ante diſtributionem *Cyprian.*
Euchariſtiæ: Paulus aũt nõ panem ſimpli- *ſerm. 6. de*
citer; ſed cũ articulo & pro nomine, τὸν *oratione*
ἄρτον τοῦτον, id eſt panem hunc, panẽ ex- *Dominica*
cellentem & ſuperſubſtantialem τὸν ἐπιού- *Ambr. lib.*
σιον appellat, quo nomine ipſum Chri- *5. de Sacra men. ca. 4.*

 ſti

ſti corpus rectè appellatur, Chriſto atteſtante, qui ait: *Caro mea verè eſt cibus. Et hic eſt panis qui de cœlo deſcendit.*

Camillus Stancari cōtra conſecrationem. Vide Villagognonē de cœna Philipp. Melanch. iudicio.

Benedicere & εὐχαριστεῖν non idem eſſe quod gratias agere.

Quòd verò Stancarus inſerit (vt conſecrationem etiam euertat) Benedicere idem eſſe quod gratias agere, quod vt Marcus ad panem dixerit εὐλογήσας, ad vinum verò εὐχαριστήσας, id eſt, cum gratias egiſſet: & hoc verum non eſt. Imò verò Græcis longè aliud eſt εὐχαριστεῖν, quàm eſt Latinis gratias agere. Nam gratiarum actio Latinis non ad panē refertur, ſed ad Deū, cui aguntur gratiæ: εὐχαριστία autem hoc loco ad panem omnino pertinet, Alioqui dictum oportuit εὐχαριστήσας τῷ θεῷ, id eſt, quū Deo gratias egiſſet: non aūt ἄρτον εὐχαριστήσας, hoc eſt, cum panem Euchariſtiam ſeu gratiarum actionem effeciſſet, vel ſi ita loqui licet, Euchariſtizaſſet, Is ergo panis gratiarum actione affectus, quem frāgimus, participatio corporis Domini eſt. Nec aliò hęc Chriſti ſiue gratiarum actio, ſiue benedictio, ſiue conſecratio pertinet, quàm vt panis Euchariſtia fieret corporis: id eſt vt panis è communi ſubſtantia, diuina Chriſti caro fieret, in incarnationis totiuſq; ſalutis noſtræ diſpenſationis memoriam: vt ſub panis ſpecie diuina lateret ſubſtantia.

Panis eucharistizatus, id eſt, gratiarum actione affectus fit Euchariſtia.

Irenęus hoc apertiſsimè docuit, dicens: *Vbi panis communis verbū Dei perceperit, panem commu-*

communem eſſe deſinere, ſed Euchariſtiam fieri corporis Domini, id eſt gratiam corporis eius: vt Euchariſtia eſſe dicatur corporis ſubſtantia, cuius corporis cauſſa laus Deo tribuenda ſit, cuius ſubſtantiæ forma ſit gratiarum actio & verbum Domini. Hoc & ſubiecta verba gratiarum actionis formalia apertè comprobat. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Corpus enim datum Euchariſtiæ ſubſtantia eſt, id eſt materia gratiarũ actionis. Sic & Iuſtinus Martyr, τροφὴν ἐυχαριςήσαν vocauit corpus Domini.

Non igitur eodem modo Chriſti ἐυλογία, ἐυχαριςία, id eſt, benedictio & gratiarum actio in cœna accipienda eſt, ſicut in alijs prophanis conuiuijs, quaſi Chriſtus Deum Patrem benedixerit, & illi gratias egerit, ſed quòd panem ipſum benedixerit, conſecrarit, Euchariſtiam fecerit, & benedictione affecerit. Id quod ex alijs quoq; ſcripturæ locis fit perſpicuum.

Quoties enim Paulus laudẽ pro beneficijs acceptis Deo tribuẽdam eſſe docet, ſi vtatur verbo ἐυχαριςεῖν, Datiuo iunxiſſe reperietur: ſed ſi benedictione vel gratiarũ actione creaturam affectã eſſe oſtendit, vt hæc ſecundum benedicentis orationẽ ſanctificata ſit, Accuſatiuũ vſurpat caſum, vt Cùm inquit: τὸ ποτήριον τῆς ἐυλογίας, ὃ ἐυλογοῦμεν, ὀυχ κοινωνία τοῦ ἁίματος τοῦ χριςοῦ ἐςι, (Hoc eſt.) *Calix benedi-*

ctionis, quem benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et ad Timotheum, vbi de ciborum ſanctificatione differit, hæc e-
1.ad Tim.4 jus ſunt verba: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum & orationem.* Hinc apparet, creaturas vi verbi augeri vel mutari, poſtulata ſanctificatione: inſuper gratiarum actionem non aliò reſpicere, quã vt creatura quæ prius reijci debuiſſet, acceſsione ſanctificatiouis facta inſumi tutò poſsit. Sed de hoc alij plura. Rectè igitur Theologi noſtri, rectè & Gabriel Biel, in expoſitione Canonis Miſſæ ſcriptũ reliquit; virtute benedictionis ſeu gratiarum actionis huius quæ ipſi ſoli nota fuit, elementa panis & vini in corpus & ſanguiuem Chriſti conuerſa fuiſſe. Quorſum enim benedictio adhiberetur? An vt panis & vini integra maneret natura? Sed fruſtra ad eam rem admotum fuiſſet verbum: nam quòd à natura panis & vinũ habet, id vt habeat, fruſtra omnipotentis Dei verbum inuocatur. *Adhibita* igitur *benedictio eſt, vt panis iſte, non effigie ſed natura mutatus,* ait Cyprianus, *omnipotẽtia verbi fieret caro.*

Benedictio quorſum adhibetur

Quare vt tandem omnia concludamus, non Innocentius tertius, non magnũ illud Lateranenſe, non Florentinum Conciliũ, vti calumniatur Stancarus, non denique

Autor Trãſſubſtantiationis.

An-

gelorum, aut Apoſtolorum, aut poſtremò mortalium quiſquam Tranſſubſtantiationis eſt autor: ſed Chriſtus ipſe Dei patris omnipotẽtis filius, per quẽ Pater condidit omnia, atq; conſeruat, ſuo ore affirmauit, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Non tu illum dixiſſe legis, Hic panis eſt corpus meum, aut ſub pane eſt corpus meum: ſed accepiſſe panem, benedixiſſe, porrexiſſe, ac dixiſſe. *Hoc eſt corpus meum.* Hoc ſubaudi ꝙ panis antè fuit, iam omnipotentia verbi factum eſt caro, iam in Chriſti corpus verſum eſt, iuxta verbum illius, ita dicentis: *Hoc eſt corpus meum*, Nec dixit, Hóc eſt figura corporis, ſed corpus. Hanc veritatem & ſententiam vel ſenſum verborum Domini, Chriſti ſponſa nobis tradidit Eccleſia, quam conſtat veritatis eſſe columnam & firmamentum. Atq; iſta horum Chriſti *1. Timot. 3.* verborum intelligentia, à Chriſto in Apoſtolos, ab Apoſtolis in eorum diſcipulos, & ab ijs in eorũ quoq; ſectatores, atq; ita deinceps legitima ſucceſsione in totum orbẽ deriuata ac propagata eſt: vti ex Patrũ ſanctiſsimorum teſtimoijs audiuimus. Vę ergo miſeris illis, qui Chriſto æternę veritati mendacium affingere non verentur, dicẽtes, Panis eſt, non corpus: Cùm Chriſtus proclamet: Hoc eſt corpus meum, & non panis, caro mea eſt, & cætera.

no,id eſt, materia ſuâ. Rubriores ſunt oculi eius vino,& dentes eius lacte candidiores: Hoc eſt in ſacrificio quod fiet ex pane, non obſtante quod albũ ſit velut lac, conuertetur ſubſtantia in ſubſtantiam corporis Meſsiæ, eritq́; in ipſo ſacrificio ſubſtãtia ſauguinis Meſsiæ rubra, vt vinum. Erunt item in ſacrificio vini, ſanguis & caro Meſsiæ, & eadem erunt in pane. Quoniam corpus Meſsiæ non poteſt diuidi, idque ratio poſtulat. Nam ſi caro & ſanguis diuiſa eſſent, diſtinguerentur ab inuicem. Corpus autem Meſsiæ non poteſt diuidi, ſicut ſcriptum eſt Exod. 12. Et ſubſtautiam non confringetis in eo.

NOTA. panis ſubſtantia cõuertetur in ſubſtãtiam corporis Meſſiæ, & corpus ſanguis Meſſiæ ſub alterutra ſpecie.

Rabbi Moses Hadarsan in Pſalmo centeſimo trigeſimo ſexto.

Qui panem vel cibum omni carni: Amplius dictum eſt verbum notum. Qui dat panem omni carni, Hoc eſt quod dictum eſt Pſalmo trigeſimoquarto, Guſtate & videte quoniam bonus eſt Deus. Quia panis quem dat omnibus, ipſe eſt caro eius. Et dum guſtatur panis, conuertitur in carnem. Et hoc eſt quod dictum eſt. Et videte quoniam bonus eſt Deus. Et erit hoc mirabile magnum.

Vixit ante Chriſtum.

Panis conuertitur in carnem.

Rabbi Iudas in cap. 28. Num. *Panis facierum coram me ſemper. Quare dicatur panis facierum, ratio eſt: tranſmutabitur ex ſubſtantia panis, cum ſacrificabitur in ſubſtãtiam corporis Meſsiæ, qui deſcendit de cælis. Et ipſe idem erit ſacrificium. Ideoq́; dicis. Reſpicietis ad offerendum mihi, id eſt*

Vixit ante Chriſti natiuitatem.

Tranſmutatio panis ſubſtantiæ in ſubſtantiam corporis Meſſiæ.

offerri me. Eritq́ inuiſibilis atq́ impalpabilis. Cuius rei fidem facit ſedes Eliæ. Et Magiſtri aiunt, eã ob rem dictũ eſſe panem facierũ, quia in ipſo ſacrificio erũt duæ ſubſtantiæ, diuinitas, & humanitas.

2 Nunc igitur Stancare, & Tranſſubſtantiationẽ, hoc eſt conuerſionẽ ſeu tranſmutationẽ panis & vini in corpus & ſanguinem Domini, impiè oppugna: quam non modo Chriſtus Dominus diſertis verbis aſtruit, non modò vniuerſa Chriſti fatetur Eccleſia, ſed & ipſi Rabbini ſaniores, qui ante Chriſtũ vixerunt, palàm confitentur. Quòd ſi Chriſto, ſi Eccleſiæ, ſi orthodoxis Patribus credere nõ libet: crede ſaltẽ Rabbinis tuis, & veritatem Catholicam, vel ab ipſis Hebræorum Magiſtris addiſce. Verũ illi nequaquam de tribus tuis placentis; de quibus in ſcripturis ne my quidem, ſed de vnica placenta frumenti poſt aduentum Meſsiæ offerenda, & eleuanda ſuper capita Sacerdotũ, qui dicuntur montes Eccleſiæ, magno conſenſu, vt vides ex Pſalmis prædixêre. Ideo & ipſi iudices veſtri erunt.

Atq; hæc quidem fuſius tractari poterãt, Sed quoniam multi hac de re & eleganter & copioſe multa conſcripſerunt, & nos ex his non pauca attigimus, & ſcriptum prolixius factum eſt, quàm initio ſtatueram, finem jam facio: & lectorem veritatis Catholicæ ſtudioſum ad Catholicos ſcripto-

res, Hoſium, Lindanum, Tiletanum,& alios complures remitto.

Deo verò Patri optimo Max. pro cuius gloria domoq; dimicationem hanc, non tã aduerſus hominem, quàm aduerſus crudeliſsimum teterrimumq; Tyrannum Diabolum, qui tales homines aduerſus Deum & Eccleſiam eius excitat atq; inſtigat, ſuſcepimus: & Chriſto filio eius, qui eſt Sacerdos in æternum, qui nouam noui teſtamẽti docuit oblationẽ, quã Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo: & ſpiritui ſancto paracleto, qui in Eccleſia Chriſti Catholica docet omnem veritatem, ſit honor, laus, virtus & imperiũ, in ſæcula ſæculorum, Amen.

FINIS.

ASSERTIONES CATHOLICAE.

DE SACROSANCTO & viuifico & incruento quod in Eccleſijs operamur, Miſſæ ſacrificio.

PRIMA.

VETVS Manichæorũ error fuit, nullum in Eccleſia Chriſti externũ & viſibile eſſe Sacrificiũ:[a] Cui

compluribus in locis occurrens D. Auguſtinus, docet, viſibile Sacrificium, propter inuiſibile, minimè excludendum eſſe: [a] adeoq; [b] templum, Sacerdotes & Sacrificiũ Deo vero deberi, etiã dęmones agnoſcere: atq; hoc [c] Sacrificium in Miſſa offerri.

a De ciuit. Dei lib. 10. cap. 29. Con. Aduer. legis et prophet. lib. 1. ca 29 b Epiſt. 49 quæſt. 3. ad Deo gratias. c Con: Fauſtũ Mani. lib. 20. ca. 18. & li. 10 cap. 20. de ciuita. Dei. Cõcil. Trid. ſeſſ. 22. ca. 1

SECVNDA.

Eſt igitur Miſſa Euangelica, verum & propriũ noui Teſtamenti ſacrificiũ, à Chriſto Domino in cœna vltima inſtitutum: quo cruentũ illud ſemel in cruce peractũ repræſentaretur, eiuſq; memoria in finem vſq; ſæculi permaneret: atq; illius ſalutaris virtus, in remiſsionem eorum, quę à nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur. TERTIA.

Nam quòd in cœna Chriſtus non Sacramẽtũ modò, ſed & ſacrificiũ inſtituerit, pręter alia multa, qua infra attingentur, vel vnus Irenæus teſtis eſt locupletiſsimus: qui ſe palàm firmat *Chriſtũ in cœna Apoſtolos nouã noui teſtamẽti oblationẽ docuiſſe, quã Eccleſia* inquit, *ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mũdo offert Deo: iuxta Malachiæ vaticiniũ.* Cui atteſtatur & Auguſtinus, cum inquit: Ipſe Dominus de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium, ſecundũ ordinẽ Melchiſedech. Vnde & ipſi Apoſtoli ſacrificaſſe legũtur.

Iren. lib. 4 cap. 32. Auguſt. in Pſalm. 33. Actor. 13. Item in vita S. Andreæ Apoſtoli, &c.

QVARTA.

Quòd verò Chriſtus in cœna, corpus & ſan-

ſanguinẽ ſuũ, ſub panis & vini ſpeciebus Dei Patri obtulerit: primum inde conſtat, quòd Chriſtus ſit Sacerdos, ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Cùm autem Melchiſedech, & Sacerdos fuerit (cuius propriũ eſt offerre) & nihil aliud legatur obtuliſſe præter panẽ & vinum: oportuit & Chriſtũ offerre Deo patri, non tantùm panem & vinum, ſed vt veritas figuram impleret, ſub ſpeciebus panis & vini, corpus & ſanguinẽ ſuũ: quidem non alibi quã in cœna factũ reperies. Deinde cũ apud Lucã inquit, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, an nõ apertè ſacrificare videtur? Dare enim quidpiã Deo pro aliquo, offerre eſt. Poſtremò clariſsimi quiq; & antiqſsimi patres in ea fuerunt ſententia. Nã & Cypria. inquit: *Quis magis Sacerdos Dei ſummi, quã Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificiũ Deo patri obtulit, & obtulit hoc idẽ, quod Melch. obtulerat, id eſt, panem & vinũ, ſuũ ſcilicet corpus & ſanguinẽ?* Et Paulò poſt: *præcedit antè* (in Melch.) *imago ſacrificij Chriſti, in pane & vino ſcilicet conſtituta, quã rẽ perficiens & adimplens Dominus, panem & calicẽ vino mixtũ obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatẽ præfiguratæ imaginis adimpleuit.* Et D. Gregorius Nyſſenus ait, *Chriſtum præoccupaſſe impetum violentum hoſtium ſuorum, ac ſeſe victimã & oblationem pro nobis obtuliſſe, cum corpus ſuum ad comedendum, & ſanguinem ſuum* familia-

Pſal. 109. Geneſ. 14. Ad Heb. 5. Luc. 22. 1. Cor. 11. Cypr. lib. 2. Epiſt. 3. ad Cæcil. Gregor. Orat. de Reſurrect. D.

familiaribus ad bibendum præbuit. Mitto[a] Clementem Romanum,[b] Euſebium, Cæſarienſem,[c] Ambroſium,[d] Leonē Magnum,[e] Oecumenium,[f] Theophilactum, & cæteros, qui idem prorſus ſentiunt.

QVINTA.

Iam quòd illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, non ſolùm de conſecratione panis & vini, in corpus & ſanguinem Domini, nec de diſtributione aut ſumptione tantùm, ſed de oblatione præcipuè accipienda ſint, primū inde cōſtat, quòd Chriſtus ipſe obtulerit, & quòd ipſe fecit idem, & diſcipulis faciēdum mandauerit. Deinde quia vſitatum eſt in ſcriptura, vt facere ſumatur pro offerre. Poſtremò, quia pleri-que omnes Eccleſiaſtici Doctores ita hāc Chriſti inſtitutionem intellexerunt. Nam vt Irenæum ſupra citatum omittam, Cyprianus ita argumentatur. *Nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei patris, & ſacrificium Deo patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: vtiq; ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur: Et ſacrificium verum & plenum tunc offert Deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtū videat obtuliſſe.* Subſcribit Euſebius Cæſariē. inquiens: *Poſt omnia quaſi mirabilem quandam victimam, ſacrificiumq; eximium patri ſuo operatus,*

a Clem. in Epitome Tradit. Apoſt.
b Euſ. lib. 1. cap. 10. Demonſtr. Euang.
c lib. 4. de Sacramen. cap. 3. & lib. 5. de ſacer. cap. 1.
d Leo ſer. 7. de paſſ.
e In illud. Tu es ſacerdos.
f Theophylactus in Matth. cap. 28.
Exod. 20. Ierem. 23. Num. 6. Iudic. 6. Luc. 2.
Cypr. li. 2. Epiſt. 3. ad Cæcil.

tus pro noſtra omniũ ſalute obtulit: eiuſq; rei memoriã, vt nos ipſi Deo pro ſacrificio offerremus inſtituit, Ambroſius certè nihil orare ita dubitat, *Accedo*, inquit, *ad altare tuum, vt offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationem tui pro ſalute noſtra.* Et Chryſoſtomus, *Cùm ſacrificiũ commutaret, pro brutorum cæde, ſeipſum offerendum præcepit.*

In præparatione ad Miſſam.

in 1. ad Corinth. 10.

SEXTA.

Quid ego hîc Liturgias commemorem, Iacobi Apoſtoli, Baſilij, Chryſoſtomi, Clementis, Miſſam Romanam Aethiopũ, Syrorum, Armenorum, quibus in omnibus, ſtatim poſt illa verba: *Hoc facite in meã commemorationem*, ferè ſubiungitur, *Nos igitur memores tam beatæ paſsionis &c. offerimus tibi hoc ſacrificium, &c. Vt illud quod Melchiſedech obtulerat* (inquit Auguſtinus) *iam per totum orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri. Id enim ſacrificium ſucceſsit omnibus illis ſacrificijs veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri: quia pro illis omnibus ſacrificijs & oblationibus, corpus eius offertur, & participantibus miniſtrantr. Quod meritò antè per Malachiam Dominus prædixerat. Non eſt mihi*, inquit, *voluntas in vobis*, ô Sacerdotes Iſrael, *& munus non accipiam de manu veſtra. Ab ortu enim vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur*

Dionyſius Areop. Eccleſ. Hiere. cap. 3.

Chryſoſt. Homil. 83. in Matth.

Auguſt. li. 20. contra Fauſtũ ca. 21.

Ambroſ li. de Sacram.

Matth. 24. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Aug. li. 83. quæſt. 41.

Idẽ de Ciu. Dei lib. 17. cap. 20.

Malach. 1.

tur nomini meo, oblatio mūda. SEPTIMA.

Quod autē & hic ſcripturæ locus de Euchariſtiæ ſacrificio ꝓpriè intelligatur, pręter ſuperiora D. Irenæi & Auguſtini teſtimonia, plurimi alij teſtes ſunt grauiſsimi: D. Iuſtinus Philoſophus & Martyr, *omnia* inquit, *ſacrificia, quæ ſuo nomine facienda Ieſus*

In Dial. cū Triphone.

Chriſtus tradidit, id eſt, in Euchariſtia panis & poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt, præoccupatione vſus Deus, ſibi grata eſſe teſtatur. Quæ autem à vobis (ô Iudæi) *veſtriſq; ſacerdotibus fiunt, improbat his verbis: ſacrificiáq; veſtra è manibus veſtris non accipiā.* Et rurſus, *De hoſtijs,* inquit, *quæ ipſi à nobis gentibus vbiq; offeruntur, id eſt, de pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, tū prædicit, cùm ait, à nobis nomē gloria affici, à vobis autē pollui.* D. Hieronymus. *In omni loco, ait offerri oblationem, nequaquam immundam, vt à populo Iſrael, ſed mundam, vt in Cæremonijs Chriſtianorū,* Damaſcenus inquit, *Hæc eſt pura, ſcilicet hoſtia & incruēta, quā ab ortu vſq; ad occaſum ipſi offerri, per Prophetā Dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti.* [a] Auguſtinus non vno in loco idē confirmat, [b] Clemens item Romanus, [c] Euſebius Cæſarienſ. [d] Chryſoſtomus & alij.

Super eadē Malach. verba.

Lib. 4. cap. 14. de fide Orthod.

a De ciuit. Dei lib. 19. cap. 23. & li. 18. ca. 35.

b Lib. 6. cōſtit. Apoſt. cap. 23.

c Lib. 1. ca. 6. & 10. Demonſt. Euang.

d Sup. Pſa. 95.

OCTAVA.

Hinc & illud ſciendum eſt, ſacrificium hoc non Euchariſticum tantùm, verùm & propiciatorium eſſe (propter eam quę præ

ſens

ſens adeſt in altari propiciationem noſtrã)
per quod Cyprianus, Athanaſius, & Da- 1.Ioan.2.
maſcenus: omnes expiari ſordes affirmãt,
Per quod Alexander, & Iulius Martyres
& Pontifices ſanctiſsimi, omnia crimina &
peccata deleri aſſeuerant. Nam ſi Chri-
ſtus in cœna ſacrificium patri obtulit, vti *ad Hebr.5.*
probatum eſt, non ſanè fruſtra obtulit, ſed *& 8.*
pro peccatis. *Omnis enim Pontifex ex homini-*
bus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, vt offe-
rat dona & ſacrificia pro peccatis. Cùm igitur
ſacerdotes eius exemplo & inſtituto offe-
runt, proculdubio pro peccatis offerunt.
Quare ipſorum oblatio eſt propiciatoria.
Huc accedit, quod in diuiniſsimo hoc ſa-
crificio Chriſtus incruentè immolatur &
offertur, idẽ ipſe qui in ara crucis ſemel ſe-
ipſum cruentè obtulit, factus propiciatio
pro peccatis noſtris. Vnde Auguſt. *Nonne*
ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? & tamẽ in *Epiſt.23.ad*
Sacramẽto non ſolũ per omnes Paſchæ ſolemnita- *Boniſac.*
tes, ſed omni die populis immolatur. Hinc illa per- *Chryſoſto. Hom.3.in*
petua in Eccleſia ab Apoſtolis tradita conſuetudo *cap.1.ad*
fluxit, vt tam pro viuis quàm mortuis ſacrificium *Philipp. &*
hoc offeratur. Ita Augu. Cũ ergò ſacrificia ſi *Homil.49.*
ue altaris ſiue quarũcũq; eleemoſynarũ ꝓ *ad Popul. Antioch.*
baptizatis defũctis omnib. offerũtur, ꝓ val- *Enchir.ca.*
dè bonis gratiarũ actiões ſunt, ꝓ nõ valde *110.*
malis propiciationes ſunt. Itẽ: *Orationibus S.* *Serm.32. de verb.*
Eccleſiæ & ſacrificio ſalutari & eleemoſynis, quæ *Apoſt.*

pro

pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandū *Oratione pro defunctis.* *mortuos adiuuari*: Ita Athanaſius incruentā hoſtiam vocat propiciationem. Ita Cyrillus Hieroſolymitanus corpus Chriſti præ- *Catecheſi Myſtag. 5.* ſens in altari hoſtiā propiciationis appellat. Et addit, *Chriſtū pro nobis mactatum offerimus, vt & nobis & illis* (defunctis fratribus,) *peccatoribus Deum benigniſsimum reddamus propicium.*

NONA.

Nec verò hic quicquam derogatur vnico illi, & perfectiſsimo ſacrificio, quod Sacerdos Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſemel in ara cruris obtulit Deo patri. Neque enim ideo hoc tremendo ſacrificio vtimur, quòd noui aliquid nos denuo promereri per hunc vſum perſuaſum habeamus: verùm vt quod iam pridem promeruit Chriſtus in ara crucis, id nos transferre, & eius fructum nobis applicare poſsimus. Hanc ad rem opus eſt nobis operibus, opus eſt nobis ſacramentis, opus eſt nobis quotidiano, quod in eccleſia celebratur, ſacrificio. Hinc Theodoretus: *In epiſt. ad Hebr. ca. 8* *Si & Sacerdotium quod ex lege eſt, finem accepit, & ſacerdos qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, obtulit ſacrificium, & effecit, vt alia ſacrificia non eſſent neceſſaria, cur noui teſtamenti ſacerdotes myſticam Liturgiam ſeu ſacrificium peragunt? Sed clarum eſt illis qui ſunt in rebus diuinis eruditi,*

nos

uos non aliud ſacrificium offerre, ſed illius vnius & ſalutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit ipſe Dominus: Hoc facite in meam commemorationem.

DECIMA.

Ex quo facilè ſoluuntur obiectiones illę. Neq; vt ſæpè offerat ſemetipſum, alioqui oportebat illum frequenter pati. Semel oblatus eſt ad exhaurienda multorum peccata. Vna oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos. Palàm enim eſt loqui Apoſtolum de cruenta illa oblatione, quæ non ampliùs eſt repetenda, ex qua etiam profluit, quicquid eſt vſquam remiſsionis & ſanctificationis. Quod autem calumniātur aduerſarij, Romanos Pontifices Miſſam confuiſſe: ex ijs quæ dicta ſunt facilè diluitur. Nam Miſſæ ſubſtantia, quæ Conſecratione, Oblatione, & Communione corporis & ſanguinis Domini continetur, à Chriſto inſtituta & promulgata eſt: Reliqua verò accidentia, vt cantus & cæremoniæ, ab Apoſtolis alijſque ſanctis patribus in celſiſsimi Sacramenti honorem ac reuerentiam, iure optimo adiectæ ſunt. *Ad Hebr. 7. 9. & 10.* *1. Cor. 11.*

VNDECIMA.

Quare cùm & Typis ſacrificij noſtri in Agno Paſchali (qui prius & offerebatur, idque in cómemorationem, deinde manduca- *Exod. 12.*

batur) & in oblatione Melchiſedech præceſſerit: & Malachias de eo luculenter ſit vaticinatus: & Dominus ipſe in cœna corpus & ſanguinem ſuum patri obtulerit, & offerri præceperit in ſui commemorationem: cũ denique vniuerſa Chriſtianorum Eccleſia, inde ab Apoſtolis, ſacrificium hoc vbique obtulerit toto orbe terrarum: ſanè manifeſtum eſt, eos qui viſibile in Eccleſia ſacrificium negant, vel quod multò eſt atrocius, Miſſæ ſacrificium horrendam eſſe abominationem blaſphemant, ipſiſsimos Antichriſti præcurſores eſſe: qui iuge hoc ſacrificium, iuxta Danielis vaticinium, tandem interdicet. Sic enim planè non Hieronymus modò & Theodoretus, verùm & Auguſtinus, Chryſoſtomus & Hyppolitus, vt alios mittam, illum Danielis locum interpretantur.

Daniel. 12.

In Daniel. lib. 10 cap. 23 de ciuit. Dei. Homil. 49 op. imperf. Hyppolit. de conſum. mundi.

FINIS.

LEGATORIA
R. SAL[illegible]
Via Val Sassina, 5[illegible]
Tel. 899.223